AEPOMANTEIA,
IN
QUA TRACTATUR
DE
MUNDO, SPATIO, VACUITATE, ET AËRE;
TUM ETIAM
DENSO ET RARO,
Ac cæteris qualitatibus
CHTONOSPHÆRÆ DIVERSIMODE ACCIDENTIBUS.

Unde,

Doctrinâ Aëris explicatâ , in veram Cognitionem rerum Phyſicalium , Medicarum, aliarumque , cùm Oeconomiæ , tum quibuſvis vitæ uſibus ſervientium liceat devenire.

Cui adjiciuntur primò quædam ad juſtam *Aëroſtathmi, & Thermocryerometri* Structuram ſummoperè neceſſaria : nec non ſecundò circa hæcce Organa factæ Obſervationes , ab initio Veris Anni 1709 uſque ad idem inſtans Anni 1715.

Per

J.J.W. de Peima Lib. Bar. de Beintema, S.C.R.M. Perſ.Med.&Conſil.ut & Regni Hungariæ,Provinciarumq; Ei annexar. Parem, Archiatrum, Proto-Med. & Conſ. Sanit. Præſidem perpetuum.

VIENNÆ AUSTRIÆ,
Typis Joannis Van Ghelen , Sac. Cæſ. Majeſtatis Aulæ, & Univerſit. Typographi 1715.

Digitized by Google

APPROBATIO.

PRæſentem de aëris qualitatibus iisdemque per inſtrumenta ſic dicta aëroſtathmum & thermocryerometrum dignoſcendis tractatum à me officii tempore reviſum (cùm in eo ſacroſanctæ Fidei Catholicæ præceptis nihil difforme; cuncta autem tàm ſcientiæ phyſicæ, quàm medicæ principiis congrua, mentibusque notitiæ Chtonoſphæricæ pariter ac ſalutari aëris cognitioni inhiantibus apprimè utilia & opportuna compererim) ego infraſcriptu publicâ luce laudeque dignum arbitror; Si ita videbitur Reverendiſſimo, Perilluſtri ac Magnifico Domino Univerſitatis Rectori. Actum Viennæ Octavâ Iduum Decembris Annò reparatæ ſalutis humanæ 1714.

CAROLUS WOLFFGANGUS
à Lebzeltern m. ppr. Sac. Cæſ. Regiæque Catholicæ Majeſtatis Conſiliarius & Perſonæ Medicus, Facultatis Medicæ p. t. Decanus.

Imprimatur.

GEORGIUS HENRICUS
à Lamprecht Doct. Cathedralis Viennenſis Decanus, & p. t. Univerſitatis ProRector.

Digitized by Google

Amice Lector!

Χειμὼν ὅταν παραγγέλῃ, θάλπνα μὴ θρύπτε: *Antiquum. Sic noſtrô quoque tempore iter inſtituentibus prudentia conſulit ſibi de calceis, & penula proſpicere, ut adversùs viarum aſperitates illæſi perdurent, ac Cœ-i, Aërisque inclementiæ reſiſtant. Si ve-ò tempeſtas mitis hos comitetur, vel ſolis ſtus; utique majora, & incommoda im-edimenta convasârunt. Sed quamvis per-ore proficiſcendi animus non adſit, quotidia-â nihilominùs experientiâ docemur, ..nſig-'s omnino, ac nunquam non neceſſariæ com-oditatis exiſtere, ut de futuris tempeſtati-s, aliaque omni Aëris temperie, certiores ddamur. Quid belli Ducis, quid Archi-laſſi intereſt ad temperiem Cœli, ventique alitates animadvertere, atque procellas eſagire? Nonne quandoque bellicoſi exer-ûs nimbus, ventus, vel & ipſi Solis radii*

adverſi, indubiam exſpectationem ita fruſtrati ſunt, ut inferiori militi campum & caſtra reliquerint? An non ejusdem venti immutatio, aut ingruens Circius, & Turbo, vel quoque malacia epibatarum prælantium ſolertiam adeò eluſerunt, ut victoriâ cadere ſint coacti? Nonne etiam totam ſuam Claſſem invincibilem ſolô procellarum furore, ne quidem viſô hoſte, ſubmerſam Hiſpani dolere debuerunt, dum in dies ſingulos fèliciſſimæ expeditionis nuntiis inhiabant? Ita Colonum, Vinitorem, atque Æconomum per Cæli, Aërisque temperiei prænotiones de fèrtilitate, ac annonæ defectu cuncta ritè ordinare videmus. Ipſi autem Curatores ſanitatis cum tota Familia Medica non meliùs ſuam providentiam impendunt, quàm prænoſcendo non deſitam aut noviter irruendam apocriſim morboſam, epidemicam, & malignam, ac quamcunque aliam conſtitutionem peſtilentem, ad quam univerſam intemperies Cæli tantoperè conſpirat, ut eadem per hanc infallibilî prorſus methodô potis ſit provideri. Aſtrologi ſuîs prædictionibûs jam dudum conabantur ejus gratiâ aliquid ſubminiſtrare; aſt fallaces eorum opiniones hactenus: neque memini ex innumeris chimatographis, & faſtorum obſervatio-

vationibus certi quidpiam, aut utilis poſſe elici. Cardanus Aſtrologiæ aliàs amantiſſimùs, & acris propugnator, in ſua præfatione ſuper Hipp. de Aëre inquit : illum ſe ipſum ignorare, qui quicquam caſu fieri putat. Verùm, omnium plures cùm ſint cauſæ, Dei voluntatem nobis ignotam eſſe, Aſtrorum promiſſa dubia, ſi non falſa : quæcunque verò ex circumjacenti hac Regione Aëris, terrarum, atque Aquarum pendent, & nota, & fida eſſe. *An ipſe circa hanc præcognitionem temperiei Cœli in circumjacenti Regione peculiari uſus fuerit methodô, vel qualis ad eam apta queat exiſtere, non exponit. Credibile, eum ejusmodi ſigna in ſubſidium vocâſſe, quæ jam olim ab Aſtris, Luna, Soleque, ac eorundem Parrheliis, Paraſelynis, Funibus ſolaribus, Halone, Iride, Nubibus, Tonitru & Fulgure, atque præcipuè Ventorum qualitate, ipſisque meteoris ſolebant deſumi ; vel etiam ἐκ τῆς κατασκοπῆς γεωργικῆς. Quæ quidem cuncta non ſuâ carent utilitate, & ſemper plus præſtare conſueverunt, quàm à ſciolo quopiam Aſtrologiæ, & faſtorum calculatore aliquando vidimus prolatum. Hic plerumque, quum*

circa indiviſibilia, exhauſtiones, cùm Geometricas, tum Arithmeticas, ac Radices impoſſibiles altiorum æquationum, aliaque hujuſcemodi ὑψηλόφροντα, *perpetuò verſatur, ingenium ſibi conficit ſine ullo profectu. Exhauſtiones iſtæ,* ᾗ πάντα ταῦτ' ἀνένδεκτα, *ad inanitatem, & vacuum remittenda; ne mens laboriosè nimis ac fruſtra delaſſetur. Alia reſtant, quæ ſenſibus ſubjacere experimur, in queis opera fructuoſa porro poterit adhiberi. Ab effectibus ſolemus inſtrui, hice nobis data, & Materiem porrigunt: ac verè* τὰ παθήματα, μαθήματα. *Et quantum ſenſibus completum mutilo, ac orbo præferri judicamus, tantò excellentiùs is in Matheſi progreditur, quantò animum ſuum ad res, & actuoſa magis convertit, iiſque eruditur. Sic Logiſtica certè præclara eſt, ac ſpecioſa meretur nominari, cùm ex notis ignota inveſtigamus, ac re ipsâ eruimus. Sed ubi nota nobis deſunt, & perverſis principiis inſiſtimus; ſecundùm quodlibet productum, effatúmve, aut poriſma, hallucinabimur. In hujus autem genere ſtudii Aëromántici præ omnibus opus habemus praxi cum ſuis inſtrumentis, quibûs ad copiam ſignorum patefit aditus. Ea tibi, per* Aëro-

ſtath-

ſtathmum, *ac* Thermocryerometrum *hîc comparata, licebit intueri, ac pernoſcere. Iſta duo præcipuè tanquam prima, ac potiora, ſelegi; tametſi alia quoque, & præſertim Hygrometra, fructu ſuô pollere haud diffitendum ſit. De Pycnoſcopiis, ſive Manometris non multùm ſimus ſolliciti, ſi enarrata Muſeum, ac Conclave adornaverint, & paucâ adhibitâ exercitatione, fuerint nobis reddita familiaria. Ut verò poſterior dies diſcipulus eſt prioris; ita deinceps non defuturus plura conari. Interim hæc, tuo commodo ſcripta, æqui boniq́ue conſule: & Vale.*

INDEX
MATERIÆ.

Cap. 1.	De	*Mundo.* - - -	Pag. 1.
2.		*Spatio & vacuitate.* - -	17.
3.		*Tellure.* - - - - - -	30.
4.		*Aëre.* - - - - - - -	36.
5.		*Denſo, & Raro.* - -	58.
6.		*Inſtrumentis Aëris qualitates indicantibus.* - - -	66.
7.		*Aëroſtathmo, ejusque uſu, & neceſſitate, in communi vitæ ordine, ac ſcientiis rerum.* - - - - - -	70.
8.		*Thermocryerometro, ejusque uſu & commodo.* - -	97.
9.		*Obſervationibus Aërologicis Viennæ habitis ſub Elev. gr.* 48. *m.* 22. *de Annis* 1709. 1710. 1711. 1712. 1713. 1714. *uſque ad Veris initium* 1715. - - - - - -	106.

DE MUNDO

CAPUT I.

§. 1.

QUam materiam tractandam ſuſcipio, tam delicatam experior, ut ſine aliqua inſinuatione explicatûs magnæ illius nos ambientis Sphæræ de operæ fructu inter pleroſque diffiderem. Judicat major hominum pars ſolùm ſuper palpabili; ſed neque tunc bene: quid de Aëre inviſibili, ac ferme haud ſenſibus ſubjecto, judicii exſpectandum, ſi non corporeæ, ac materialis rei ratiociniô tantulùm manifeſtus evaderet;

deret; Aëre, inquam, non manu comprehenſibili, non oculorum acie, nec aliàs quidem, ſi non ejuſdem ideam nobis comparemus per plurima experimenta, quibus illius qualitates ſenſus noſtros ferire animadvertimus?

§. 2.

Omnes de Dei Opt. Max. Operibus magnificè ſentimus, ne quid deſit Ejus Gloriæ celebrandæ, ac noſtrûm agnoſcendæ humilitati, ut ad gratiarum actiones impellamur pro immenſo noſtræ Creationis beneficio. Sed reverà Ejus ſupremi Conditoris potentiæ nos derogare non percipimus, dum videmur intellectum extendere ad comprehenſionem limitum, quibus Ejus Omnipotentia præcideretur in Fabrica alicujus Operis imperfecti, & multifariè ampliandi.

§. 3.

Ægyptiorum antiqua Philoſophia ſta-

ſtatuebat Mundum genitum, mortalemque, ac ad ſphæræ ſimilitudinem rotundum. Ariſtoteles, præterquàm quòd plurimùm de præſtantia, ac Mundi harmonia profert, Eum unum eſſe aſſerit, nec plures non ſolùm non eſſe, ſed & fieri non poſſe, ut plures exiſterent. Nihilominùs Eum ait non infinitum, ſed formâ globoſum, & quamvis magnitudine ambitum longè ſummùm complexum, attamen Ejus ſupremam partem omnem in partem finitam eſſe ac terminatam: cujus id, quod in celſiſſimo loco ſitum eſt, Cœlum dicitur, Dei domicilium. Cicero, Deorum, & hominum causâ factum eſſe Mundum, quæque in Eo ſint omnia, concludit; ac proin Eum communem Deorum atque hominum Domum, aut Urbem utrorumque appellat: ſed extra quàm nulla pars materiæ ſit, nullumque corpus.

 §. 4.

§. 4.

Sacrâ Fide imbuti ſumus, quòd in principio Mundus creatus ſit, cum omnibus quæ in eo ſunt. Huic quidem debita cum veneratione adhærendum eſt, & pro impietate reputandum à Dogmate S. Eccleſiæ in rebus Fidei per omnî exceptione majora Martyria infallibilem Authoritatem nactæ, vel tantillùm deſciſcere. Nihilominùs cùm non tantùm liceat ubivis rimari veritatem, ſed & ad ſcientiam rerum plurimis præclaris argumentis, Divinoque quodam inſtinctu nos impelli videamur; nil hîc prætermitti debet, quod ad perfectam hujus inſtituti perceptionem utcunque ſpectari poſſe arbitrabimur.

§. 5.

Carteſius, cumque eo plures recentiores, dum in Mundi extenſione nullos fines, ac limites agnoſcebant, Eum indefinitum pronuntiârunt; atque

atque ſimul quamlibet Hujus indeterminabilis Molis particulam pro indefinito diviſibilem: ita ut ad eam diminutionem reduci non poſſit aliquod corpuſculum, quod inſecabile reſtet, & porrò aliarum qualitatum expers habeatur. Quicquid id ſit, indubiæ Doctrinæ eſt, quòd Corpus eò uſque extenſum dici non poſſit, quin mente comprehendamus idem adhuc majus poſſe exiſtere. Sic retrogradi non imaginabimur aliquod tam exiguum, ut ad minimum poſſit reduci, & minores affectiones haud induere. Et quàm clarè diſtinctèque intelligimus atomum duplicem ſeparatum, quando conjungitur, corporis, vel alicujus rei verè materialis naturam non induere; aut atomum exiſtere cum aliqua affectione, & corporis particulam reverà eſſe; Sive porrò atomum non eſſe atomum, eâdem diſtinctâ claritate meditando concludimus, quòd ab

aliqua circuli majoris circumferentia per aliam cujuſdam incluſi lineæ tot ductiles ad commune centrum conſiderentur, quot minor circumferentia non poſſit admittere. Quapropter ne ultra quàm par eſt diſputando progrediamur, ſufficit ſimpliciter id ſupponere, quòd corpuſcula tam exigua non dentur, quin eadem adhuc minora, quatenùs rei explicatio id exigit, mente poſſimus comprehendere. Quod idem de Magnitudine cenſendum.

§. 6.

Hactenùs plura Syſtemata de Mundi conſtitutione excogitata vidimus. Antiquîs temporibûs Telluri medium, vel locum centralem aſſignârunt, quam Planetæ, inter quos & Sol reputabatur, cæteraque Aſtra viſibilia, ſuô modô circumgyrare dicebantur: aliquibûs motum Ei cardinatum tribuentibûs, aliîs verò quietem. Quorum præcipui ferun-

runtur Anaxagoras, Democritus, Pythagoras, Philolaus, ac fortè Thales Mileſius, & Anaximenes (Hic quadrantis fabricæ inventor, Ille unus ex ſeptem, quem Cicero Principem appellat, Eccliplium Solis, ac Lunæ primus calculator) ac denique Ariſtoteles, & Claudius Ptolomeus, uterque Tellurem in quiete conſiderans. Hoc ultimum pene continuatum 1900. annis: quum initiô ſæculi 16. Nicolaus Copernicus non tantùm Telluri motum reſtituit, verùm etiam ſuum novum Syſtema de qualitate Ejus Planetaria, Soliſque in Mundi centro quiete divulgavit. Licèt veriùs ejus reſtaurator ſit nuncupandus, cùm jam olim Ariſtarchus hujus ſuæ ſententiæ luculentam ſanè fecerat explicationem: ſicuti ex Archimedis arenario, tum quoque ex ipſius Ariſtarchi ſcripto ſuperſtite abundè cognoſcimus.

§. 7.

Cùm verò id Telluris motûs Syſtema noviter reſurgens plurimorum ſenſibus, ac imprimis Orthodoxæ S. Scripturæ interpretationi videretur adverſari, etſi Card. de Cuſa ante Copernicum, multîs annîs, idem iſtud ut ſuum publicè & acriter defendiſſet; verſus finem dicti ſæculi 16. Tycho Brahe natione Danus, doctus ac laborioſus imprimis Aſtronomus, denuò Tellurem in centrum reduxit: aliîs quibûſdam de Sole, Planetiſque pro explicatione phænomenorum neceſſariîs, ſecundùm methodum ſuam reſervatîs.

§. 8.

Hinc 17. ſæculum, plurium egregiorum experimentorum ferax, in quo & Aëroſtathmi ſuo Authori debent originem, dioptra ita exculta fuit, ut tuborum ope oculus ad arcana plurima, perrexerit, quibûs vel invitus mentis aciem, ad alias in re-

bus

bus Aſtronomicis formandas ideas, trajecit.

§. 9.

Attamen nimiùs quandoque in Spiritualibus fervor ſeſe valde extendit, & ad ea, quæ propriè ad S. Fidei dogmata non adeò videntur pertinere; quod preſertim in puncto antipodas aſſerente quàm acerrimè apparuerat. Quam ob cauſam novarum rerum inventores controverſiarum metu, aut in occulto hæſerunt cum ſuis experimentis, aut eadem ita communi opinioni aptare conati ſunt, ut acerbitati diſputationum, quoad ejus fieri poſſet, obviam iretur. Sic Carteſius ex Syſtemate multiplici, potiſſimùm ex duobus ultimis, aliud novum adinvenire voluit, quô Tellurem omni motui eximere nitebatur, quamvis ejus qualitatem Planetariam reſervaret, ſimulque Soli inter ſtellas fixas locum, eandemque cum iis proprieta-

tem tribueret. Sed reverà nihil aliud effecit, quàm Ariſtarchi, & Card. Cuſæ, ac Copernici, ſuper hoc renovare: & quantoperè conatus fuerit Telluris globo motum auferre, eundem tamen ei per excellentiam videtur adauxiſſe. Nam non solùm motum iſtum Telluris cum vorticis ſui ſphæris retinuit, ſed etiam ſecundùm motûs veriorem definitionem demonſtravit, eandem illam in perpetuo motu verſari; quum Chtonoſphæra ſecundùm totam ſuam ſubſtantiam indeſinenter immutetur, & de uno in alium locum deferatur, quod illud de vento, & nubibus ipſa autopſia evincit, & non aliter duret, quàm utcunque in ſuis ſpeciebus, quæ eædem primis ablatis, ſine vacuo aut mora, ſubſtituuntur. Ante dictum: oportere S. Fidei dogmata præ omnibus revereri; ſed veluti S. Scriptura atque alia quælibet S. Eccleſiæ ſenſa non aliò unquam teten-

tetenderunt; nec alia etiam Chriſti Salvatoris noſtri Praxis nobis innuit, quàm ut ad Gloriam Dei, & charitatem proximi Ethicam noſtram inſtruere debeamus; Abſonum apparet Artes liberales, atque adeò quamlibet Mechanicam iiſdem intermiſcere: tanquam Medicina, Aſtronomia, Matheſis, aliæque Artes, ad uſum vitæ quàm maximè neceſſariæ, ex S. Scriptura, vel Dogmatibus S. Eccleſiæ eſſent docendæ. Quur verò Spiritualium Proceres noviter repertis atque ſtabilitis de facto, porroque reperiundis ejuſmodi, ſuccenſerent, quæ majori Dei Gloriæ ſerviunt, nobiſque in hoc tantillo vitæ pro æterna felicitate, unicè virtutis amandæ egregium præbent incitamentum? Ego autem circa hæc, & alia, nihil ſupponi volo, niſi quod cum ſenſu Orthodoxo, & facti veritate quàm optimè debeat haberi conforme.

§. 10.

§. 10.

Manſit, inquam, dictus Philoſophus cum antiquioribus in eo, quod Regionem Mundi noſtratem hôc modô deſcriberet; ut Solem infrà Tellurem, pluresque, quàm anteà erant cogniti, Planetas centralem faceret; nec vereretur Solis maculas cum ſatellitibus Planetariis tunc notis (deinceps enim alios detectos habemus) inter Planetas recenſere. De Solis maculis, quod unô eôdemque tempore aſpectæ in India hîc & alibi omnî ſenſibilî parallaxî careant, inſuperque oriantur; diſpereantque, P. Taquet controverſiam facere videtur. Sed hic ipſe ſciens, & à diverſis ſubtilioribus laudandus, ſecundùm hujuſmodi hypotheſes ſeſe qualîcunque modô potiùs quorundam cenſuris ſubtrahere voluit, quàm veris apparentiis adhærere: ſicuti pro Telluris immobilitate unicè ſtetit à ſenſu textuum S. Scripturæ.

ræ. Attamen æquè poſſibile eſt, quòd Planetæ Soli viciniores, ejuſque radiis immerſi viſum noſtrum obſcurent, quàm nos obſcuratiùs videri poſſimus à Jove, aut Saturno, ejuſdem ipſius immerſionis ergo. Chriſtus Dominus noſter per ſimpliciſſimarum parabolarum Dogmata, inquam, unicuique clara, & intelligibilia, populum ad ſui exemplum allexit, ut in timore Dei, & charitate proximi, hujus vitæ curriculum abſolventes ad æternam beatitudinem deſtinarentur; citra principia Mathematica, & Mechanica. Quòd ergo extra fidem, ejuſque effectibus non ſit adverſum, vel quô potiùs in admirationem Divinæ Omnipotentiæ, adeoque in amorem virtutis rapiamur, illud haud quaquàm erit occultandum. Fides eſt de iis quæ non videmus: & ubi factum adeſſe comperimus, ibi Fidem minimè contrariam poſſumus exiſtimare.

§. 11.

§. 11.

Cùm autem nullum Aſtrum qualitatis igneæ, ac fixæ inter ambitum Lyræ, & Syrii, aliud extet, quàm Sol; phænomena quælibet non videntur alteram hypotheſim ſuggerere, quàm quâ Solis compages pro noſtratis Regionis centro conſtituitur.

§. 12.

Hujus ſideris fomentô Terra germinat, ſemina increſcunt, omneque pabulum ſuam maturitatem nanciſcitur; atque ipſæ animantes qualeſcunque ſemetipſas cum ſua propagine conſervant: &, ſi quid ex ſiderum influxu ad nos pervenire credamus, id omne Soli præprimis deberi autumandum eſt.

§. 13.

Quid mirum itaque, ſi vel illud Aſtrum perſe, ſive per accidens aliorum intercursûs, quem à Luna ſuiſque propriis maculis frequentiorem ob-

obſervamus ; ſeu denique per confuſiones rerum, in ipſa Tellure ſuborientes, in efficacia ſua impediatur radioſa ; Hanc ipſam non ſolùm quadantenùs gravari, & pati, ſed etiam ſuis quibuslibet incolis pro intenſiori gradu dictorum deliquiorum inſigniſſimam vim inferri ? Experientia palam eſt, quid lux, & calor ſecundùm qualitatem temperatam valeant pro incremento ; & contrà quomodò tenebrìs ac gelu, quæ qualitates Telluri propriæ ſunt, quævìs vegetabilia cum animantibus horrore afficiantur, ac rigeſcant.

§. 14.

Non tamen dubium eſt, quin Soli vicini, aliique remotiores Planetæ, quorum remotiſſimum Saturnum experimur, quoque influxivè, reſpectu noſtrûm magìs vel minùs ſenſibiliter operentur, quatenùs ſui luminìs mutuatitii repercuſſionem grandiorem aut magìs refractam faciant.

ciant. Quæ omnia ad alterationem Aëris univerſalis, tum præcipuæ Epichthonioſphæræ valde operoſa eſſe, facilè concludemus.

§. 15.

Quantum ex multiplici apparitionum experimento aſſequi poſſumus, videtur hæc Regio noſtras ſecundùm Saturni circulum ultra ſpatium Telluris diametrorum quatuordecim mille ſeſe extendere: ipſam autem Tellurem à Saturno in apogæo ad minimùm diſtare integros ſui diametros octo mille & quingentos; à Sole verò nobis multò viciniori, ſupra diametros mille trecentos, ſi nunc Telluris diametrum ad mill. ger. 1720. computemus, percipere licèt, quantùm noſtratis Regionis ad Solem pergat extenſio. Cui, ſecundùm alios majori, dimetiendæ, globus tormentarius, tempore unius ſec. ſpatium perticarum, ſeu ſexpedarum Rhen. 100. quarum 1000. mill.

mill. Ger. 1. efficiunt, abſolvere valens, plus ſeſquitrienniô impenderet (ratione habitâ diſtantiæ, Tellurem inter & Solem, illius Diametrorum 3790, ſive mill. Ger. 6518800.) Sic iſtud ultra Syrium ac Lyram ſpatium innumerabilium Regionum, quæ itidem immensè inter ſeſe ſurſum, deorſum & collaterales, diſtinctæ intelligi poſſunt, quod & de galaxia ſciendum eſt, humano captui incomprehenſibile exiſtere animadvertimus. An nunc hæc noſtras Regio, aliæque iſtæ innumerabiles, ſpatiô occludantur imaginariô, aut aliquâ vacuitate terminentur; ut noſtræ intentioni res accommodatior evadat, jam erit inquirendum.

CAPUT II.

De Spatio & Vacuitate.

§. 1.

ARiſtoteles declarat extremam Mundi partem omnem in partem

tem finitam eſſe, ac determinatam. Cicero extra Mundum nullam partem materiæ, nullumque corpus exiſtere, philoſophabatur. Alii deinceps ſecundùm ſyſtema Ptolomæi de primo ac ſecundo mobili, ipſoque Cælo empyreo, diverſimodè ratiocinati ſunt, prout quilibet ſuis principiis nitebantur; verentibûs pluribûs nimìs magnificè de Dei Operibus ſentire, ſi Mundus extra captum conſideraretur.

§. 2.

Qualis autem exiſteret iſta finitio, ac quomodò ille actus incluſionis τοῦ οὐδενὶ poſſet aſcribi, nihil prorſus determinati reliquerunt. *Non entis nullæ ſunt affectiones*: Commune eſt; & omnium Philoſophorum cum conſenſu contradictionem non patiens. Quomodò ergo non enti, hujus ergo, qualitates illas eximias poſſumus aſſignare, quibus totum Univerſum actuosè deberet complecti,

ĉti, eiq́ue obices facere quàm maximè aĉtuoſos, ultra quos impoſſibile eſſet Dei Opera extendi? Id eſt, eſſe & non eſſe, agere & pati una in re, unâ eâdemq́ue duratione. Præſtátne hæc contraria ſine ulla neceſſitate admittere, nobiſq́ue quaſi participibus conſiliorum Dei arrogantiam attribuere incomprehenſibilia Ejus Opera definiendi, quàm eadem ſubmiſsô animô admirantes ut perfeĉtiſſima, omniq́ue imaginabili amplitudine eximia, Ejus Poteſtatem venerari? *Si virtutem & opera eorum mirati ſunt; intelligant ab illis, quoniam Qui hæc fecit, Fortior eſt illîs: à Magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ, cognoſcibiliter poterit Creator horum videri.*

§. 3.

Meditemur, hunc immenſum ambitum cortici alicui incluſum. Quô ambiri, quæſo, corticem iſtum imaginabimur, & quam corticis perforati foraminibus aſſignabimus quali-

tatem, hinc in Mundum, illinc in nihil, aut Spatia imaginaria exeuntibus? Spatium, capedo, intervallum, diſtantia, & locus, in hoc conveniunt, quòd ſine qualitate extenſi non poſſint ſubſiſtere. Quarè ſi dicam Spatium aliquod, ibi materiatum, & rem dari neceſſe eſt, quò uſque illud Spatium poſſit expandi: neque illud aliter poſſe declarari quàm per verum, ac dimenſivum, ſecundùm totum ſuum quantumcunque intervallum. An nunc illud Spatium, ſive διάστημα, & verè ſubſiſtens, è nobiliori materiato conſiderandum veniat, & quòd itidem hæ Mundi Regiones alterîs præſtantiores poſſint haberi, atque alicubi loca deſtinata pro impiorum carcere & pœnis; de hoc non controverſabor. Nam ſummum Conditorem ſuis in æterna Gloria conſervandis alicubi Sedem condidiſſe omnî imaginabilî beatitudine ſuperiorem (cujus intuitu hu-

hujus Telluris deliciæ, quales quales ſecundùm innumerum genus, & ſpeciem amenæ, voluptateque, gaudiô, & quâvis animum cum delectatione demulcentes, nullius momenti exiſtunt) cùm Luminis naturæ ratio-[illegible] tum à S. Fide evidentiſſimè con-[illegible]imus. Animus eſt, mentem ab impoſſibili & inextricabili labyrintho abſtrahere, atque ad ideam facilem, prorſuſque ſimplicem transferre.

§. 4.

Pacem & veritatem diligere jubemur: & cùm nulla ratio ſuadeat, cur ab hac explicatione intelligibili ſecederemus; peſſimô quidem exemplô Lumen naturæ, ſecundùm quod ſummi Creatoris Imaginem præ nobis ferimus, (*Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs Tui Domine*) contra ſuam qualitatem, prohibitis tenebris involvimus.

§. 5.

Qui ſuſtinere voluerunt Mundum ſpatio imaginario includi, 1. non enti actionem per excellentiam aſſignant, cùm per impoſſibile illi vel minimùm non competat. Siquidem circumvallare totam Mundi machinam, actio tantæ realitatis ſeſe meditanti apparet, ut circumvallatô non poſſit videri inferior. 2. dum ſpatio reali Dei exiſtentiæ attributò aliquid derogari prætendunt, quem errorem evitare ſtudent, vel maximum committunt; cùm Supremum Conditorem, cui ſapientia, ac Δυναςεία cum ſuis omnibus prærogativis æterna ſunt, à creatura inanimata, ac commenſurabili dependere, & pati perhibent. Ubi contrà Creator eò ſublimiùs pateſcit, quò res creata, & ſub Ejus poteſtate poſita excellentior habeatur. 3. Operi Dei non exiguum detrahunt, quòd idem non feciſſet omnibûs numerîs abſolutum:

lutum: & denique 4. Si ſpatia illa imaginaria re ipsâ non in vera quantitate trinæ dimenſionis conſiſterent, utique poſſet adhuc alius Mundus Creari, aliquot millionum ſpatiis ab hoc ipſo exiſtente interjectis. Si jam illud millionare diſtans veram διχότομίαν faceret, & nihilominùs dimenſione careret, inque nihilo conſiſteret; hoc ipſum homini Philoſopho planè eſſet indignum; cùm omnium unanimî conſenſu nihil nihil ſit, & ubi nihil interjacet, hoc neceſſariò debere eſſe contiguum. An autem nunc Tellus in medio, noſque ſuperiores conſiſtamus, conſiderantes antipodas inferiores; illi rei humanus intellectus impar habetur: ſufficietque in communi uſu loquendi per terminos intelligibiles ſeſe explicare; noſque, dum hîc terrarum moramur, eſſe ſuperiores, ac itidem eoſdem ipſos, dum alibi, ubivis, exiſtimus. Sed tranſeundum ad aliam hu-

hujus capitis partem, ab priori haud multùm diſſentientem.

§. 6.

Vacuum, & *Vacuitas* in communi vitæ uſu diverſas, eaſque neceſſarias jam diu ſignificationes obtinuerant. Sic vacuitatem doloris; vacuum virium; domum, vacuamque hæreditatem, ac poſſeſſionem; vacuum periculô; animum vacuum; locum vacuum à turba; & denique vas vacuum dicimus: præterquàm quòd alias ejuſmodi commodas huic nomini explicationes accomodemus. Sed Philoſophicum vacuùm aliud innuere videtur: & quamvis vacuum nihil ſit, tantas tamen altercationes jam aliquot ſæculis, præcipuè ultimô præterlapsô, in Philoſophia excitaverat, quæ ſuper ulla alia re ſubſtantiva, excitari majores non potuêre.

§. 7.

Ariſtoteles l. 1. de Cœlo profert ab

ab aliis, & id illud ſuum facit, quòd κενὸν, vacuum, ſit, in quo non eſt corpus, δυνατὸν δὲ γενέσθαι, poſſibile autem fieri: quum phyſ. l. 4. quoque ſtatuiſſet, motum ſine vacuo non poſſe ſubſiſtere. Quamvis alibi affirmet, vacuum rationem naturæ non pati. In utroque priori manifeſtum videmus contrarium: nam vacuum, ſcilicet, nihil eſſe, & actione gaudere receptionis corporis; vel moveri in nihilo, ſeu vacuo, dum motûs natura non aliter comprehendi poſſit quàm per διχοτομίαν verarum particularum, proximè moto corpori adjacentium. Ex quibus inenodabile oritur ſyſtema, de eôdem tempore eſſe, ac non eſſe; quieſcere, ac moveri; & exiſtere ſine cauſa.

§. 8.

Aliqui quod rationum argumentis defuerit vacui exiſtentiæ probandæ, id experimentîs quæſiêrunt afferere. Primò hujus occaſionem fe-

cerunt inventa variorum inſtrumentorum, quibus è vaſe aliquo Aër contentus poſſet exhauriri ſine obſervatione ingreſsûs alicujus alîus rei. Etiam perrectum eſt ad duo convexa, quorum labra affabrè polita, ac æqualiter conjuncta, extractione Aëris mediante hauritoriô tam arctè ſeſe complectebantur, ut ſecundùm magnitudinem duorum convexorum, in globum ab extractione Aëris coalitorum (fortè ſeſquipedis diametri) in altum ſuſpenſa à pondo duarum mille, & plurium librarum noſtratium divulſionem non paterentur.

§. 9.

Cùm tamen hauritoria ejus efficaciæ non eſſent, ut omnem Aërem viderentur exhaurire, & ejus vel tantillum relictum, ſecundùm qualitatem ſuam elaſticam, immenſæ expanſioni ſufficeret, aliud experimentum quoq; amplexi ſunt, prope quod vel

vel in majoris altitudinis cylindris per aquam, aut in iis minoribus per hydrargyrum, ſuprema eorundem pars, item ſufficientis capacitatis globoſa, ab evacuationibus aquæ aut hydrargyri, ſine contradictione vacua judicaretur. Hi de aquâ repleti cylindri perfecto experimento dubitârunt, cùm ſemper receſſus aquæ vel ſaltèm aliquid madidi interno convexo relinqueret, quod quoque replendo expanſo poſſet ſatisfacere. Illi mediante hydrargyrô vacuitatem effectam pro totali non valuerunt agnoſcere, cùm minima Aëris particula inter minutias ſordium, vitreorum cylindrorum parietibus adhærentes, ſuperſtes, priorem ſcrupulum ſuggereret. Cui providendo unà cum adminiculo hydrargyri Aërantlion adhibuerunt, ne aliquid prætenſi vacui ambiguitatis ſupereſſet. Sed ne tunc quidem omni difficultate ſeſe defunctos viderunt,

runt, cùm in prætenſo vacuo tintinnabulis percuſſis qualitas ſonora; aliiſque rebus coloratis & lucidis ſuæ non adimerentur; quas citra extenſionem corpoream haud ſubſiſtere poſſe arbitrati ſunt.

§. 10.

Cùm autem ex ſuperioris membri explicatione ſatis ſuperque conſtat, vacuitatem in rerum natura non poſſe ſubſiſtere, prætereaq; prætenſi vacui aſſertores ſuæ opinionis nullam ideam comprehenſibilem ſuppeditare; huic operæ pretium non eſt inhærere ampliùs: niſi velimus concludere, Spatium dici poſſe vacuum à vacuo; & ſic reipſa Spatium nihili, atque ipſum *Vacuum* non dari. Sufficiet nobis ab indefinita rerum diviſione corporearum id de eo prætenſo vacuo intelligere, quod vacuitatem Aëris quidem repræſentet, attamen aliâ re extensâ, ac verè corporeâ poſt Aëris exhauſtum

ſtum illud ipſum tantum quantum repleri : & licèt vas vitreum , aut metallicum quodvis ex denſiſſima materia conflatum aquæ, oleo, Aëri, aliiſq́ue rebus compoſitioribus continendis aptum exiſtat, non tamen propterea judicandum eſt, idem omninò eſſe impervium. Nam lucis radii, viſq́ue ignis aliud evincunt; præterquàm quòd craſſioris, aut denſioris hujus materiæ tam arcta conjunctio non ſit imaginabilis, quâ omnia interſtitia, penetrationem minimarum quarundam partium impedientia, cenſerentur ablata. Sic vaſis latera, quantumvis denſi, reſpectu Aëris, aliuſq́ue alterius contenti, retis inſtar conſideranda habemus, dum aquam, arenam, lapillos cum cæno fluido tranſmittit, piſces verò congregat, retinetq́ue. Ita Aëris, egreſſiq́ue liquoris loco materia ſubtilior, rei nulli invia, immediatè ſuccedit, ſine ullius vacui intermedio:

dio: ipſumque vas, ab exhauſto, tantum quantum antè percipimus continere.

CAPUT III.

De Tellure.

§. I.

CUjus nam meminimus, Regionis noſtratis Mundi, Tellus, ſive Terrarum Orbis, noſtrum domicilium exiſtit, nobiſque præ omnibus aliis ſuis ſociis Orbibus, ſecundùm magnitudinem, & qualitates plurimas ſibi peculiares, perſpecta & cognita evaſit, poſtquàm Anno 1492. Americam cæteris antiquitus notis partibus detectam adjecimus. Hujus Septentrionalem tractum noſtrûm intuitu antichthonium, & ſic porrò Tellurem globoſam, cum aquis ſuis diverſis, terràque, variô modô planitie, montibûs, vallibûſque, diſtincta, in vaſto Aëre librari,

ac

ac circumvolvi comperimus. Mirum quidem, quòd Olymp. 60. nempe Sæc. 20. ante hanc deteꝏionem, Pythagoram ejus de antipodibus fuiſſe ſententiæ, nobiſque adverſa veſtigia prementibus, Terramque globoſam eſſe, & circumhabitari. Quam Plato, aliique deinceps plures ſequuti fuerunt: donec tandem ſerior ætas ejus veritatem exploratam reddiderit. Ita & Xenophanes, quingentîs ferè annis ante natum Salvatorem, in Luna habitari ajebat, eamque eſſe Terram multarum urbium, & montium. Quum noſtrîs temporibûs præter rationes Majorum, per reciprocas Ecclipſes Telluris ac Lunæ, hujuſque detecta maria, ac montes, ſuaſque auctas ac decreſcentes umbras à Sole averſas, utriuſque ſimilitudinem evincentibûs argumentîs poſſimus intelligere.

§. 2.

Hoc unicum detectæ Americæ, con-

contra quam plures S. Eccleſiæ Patres uſque adeò acriter ſteterant, ut eos, qui Tellurem extra notos tractus habitabilem ſuſtinerent Eccleſiæ communione, ejuſque ſacrarii fructibûs indignos declaraverint (cujus maximam controverſiam inter Virgilium Salisburgenſem, & Bonifacium Moguntinum, Archiepiſcopos, de Sæculo 8. Bojorum annales tradidêre) nobis cæteris exemplis ſervire poteſt, quomodò S. Fidei dogmata Orthodoxa conſervari debeant, abſque eo; quòd cum factis rerum Phyſicalium, ac Mechanicarum, quæ in dies ſingulos plura, ac majora, etiam contra plurimorum, vel omnium opinionem, in lucem prodeunt, ſint confundenda.

§. 3.

Telluris quantitatem figuræ Sphæricæ in circumferentiam gr. 360. dimetiri ſolemus, quorum faciunt ſinguli mill. Ger. 15. ita ut totus ambitus

bitus ejus ſeſe ad mill. Ger. 5400. extendat. Totius hujus compaginis peculiarem & ſatis diſtinctam deſcriptionem nobis reliquit P. Athanaſius Kircherus, vir omnis ſcibilis ſtudioſiſſimus, in ſuo Mundo ſubterraneo.

§. 4.

Circa figuram ejus Sphæricam hoc tamen animadvertendum, quòd in indiſtanti ſeu particulatim conſiderata pro perfecta minimè ſit habenda. Hîc nodoſa vallibûs, illîc montibûs elevatior conſpicitur, qui alicubi in incredibilem altitudinem, & extra Epichthonioſphæram ſuper remotiſſimas nubes exſurgunt. Sicuti ex eodem Kirchero docemur, montes Hæmum ad paſſ. Geom. 10000. Athos 20000. utriuſque Thraciæ, & Caſium Syriæ Antiochenæ 28000. in Aërem elevari. Imò & ipſas planities non ubique in circumferentia omnes eſſe à centro æ-

quidiſtantes, ratio evidens demonſtrat. Quòd idem de marium Oceano; & vel ipſis ſpatioſis rapidiſque fluminibus quoque eſt ſtatuendum: dum hæc decurſibûs, illa verò æſtibûs ſuîs ſemper ſolent variare.

§. 5.

Molis hujus interiorem conſtitutionem tam diverſam eſſe conjecturare poſſumus, quàm multiplicium rerum genere, ac ſpecie differentium ab eo quaquaversùm produci videmus. Aquarum ſuperficies ingens, & Terram exſuperans. Nihilominùs hujus quantum aliarum illô longè majus exiſtere, non eſt dubitandum, quantæ quantæ etiam profunditatis maria quædam poſſint haberi. Nam terreſtri parti graviori ac hinc indè propè centrum arctiùs compactæ, aquam utì leviorem ſuperfluctuare obſervamus: attamen non ſinè fluidorum quorundam permiſtione, quæ ſecundùm certas circumſtantias inter-

internarum efferveſcentiarum ab acido ſubterraneo, terreſtrium particularum interſtitiis facilis exiſtunt inſinuationis.

§. 6.

De Igne in viſceribus Telluris Spatioſo, & in plures anfractus diffuſo, indicium habemus per montes (quorum, ſupra 30 in circuitu ſuperficiei notæ, ignivomi enumerantur) valleſque & lacus inſuper, thermaſque ferventes. Hic autem, ſuum fomitem bituminoſum diverſis in plagis nonnunquam latiùs, & profundiùs depaſcens, occaſionem præbet amplarum cavernarum, è quibus, mediante humidô ac Aëreô, Terræ motus formantur, novorum marium, lacuum, novorumque montium ac vallium, planitierumque origenes.

§. 7.

Sed præcipuè hîc attendendum, quomodò ejuſmodi Telluris alterationes, ac confuſiones, ambientem

Aërem, ſecundùm ſuas qualitates compoſitas, queant permutare; & quandoque à ſua craſi mirum in modum diſturbare. Quòd per materiæ, quæ nunc ſuſcipitur, ſpecialem explicationem clariùs innoteſcet.

****

CAPUT IV.

De Aëre.

§. 1.

UT Tellus vegeta evaderet, ac animantium pabulo, & domiciliis poſſet ſufficere, neceſſum fuit, eam liquidâ, limpidâque ſubſtantiâ circundari: qualem cernimus Aërem, vaſtiſſimum illum Mundi Oceanum; in quo, & per quem Tellus cum ſuis ſociis Planetariis, atque adeò Sol, & Aſtra quælibet, ſinè ullo alio fulcro ſubſiſtunt, ac ſuſtentantur.

§. 2.

§. 2.

Plurima fuit hujus immenſæ materiæ liquidæ explicatio. Quàm pro diverſa accipientes hi in ſuperiorem, mediam, ac infimam Regionem; illi in plures tanquam Cœlos, vel Cœlorum Sphæras; alii verò in duas præcipuas plagas diviſerunt: Aërem nempe, atque Ætherem. Quorum hic alterum amplexus in immenſum ex altiſſimis ignibus reputabatur extenſus.

§. 3.

Anaximenes, cui & Diogenes aſſentiebatur, Aërem rerum omnium ſtatuebat principium: in hoc diſſentiens ab Anaximandro, ſuo præceptore, qui infinitatem naturæ ajebat eſſe, è qua omnia gignerentur. Cicero refert, Terram circumfuſam undique eſſe hac animabilî, ſpirabilîque naturâ, cui nomen eſt Aër. Deinceps quoque magnam exiſtimationem apud Medicos, & Philoſo-

phos perſeveranter meruit, atque inter Elementa, ſive rerum omnium primordia, ſecundô locô gaudere.

§. 4.

Cùm ex prædictis percepimus quantoperè corpuſculum ſit ſectile, noſque de ejus atomia nullam ideam imaginari; ſed contrà à quibuſcunque multiplicibus ſectionibus, ultrà ad aliàs mentem dirigere, evidenter cognoſcimus, hoc ipſum, ſicuti cætera Elementa, ex diverſis particulis ſuam ſubſtantiam obtinere, præterquàm quòd pluribûs gradibûs quoque variet, ſecundùm ſubtilitatem ac craſſitudinem. Non malè itaque de eo illud receptum, jam antiquiſſimô tempore, porrò retinendum cenſebimus, ubi liquidi hujus Elementi ſubſtantiam in Aërem atque Ætherem; illum craſſum, hunc verò ſubtilem, aſt utrumque diverſimodè, diſpertiamur.

§. 5.

§. 5.

Horum Aërem, nobis viciniorem, 1. per ſe, quia intuitu noſtri vorticis (ſicuti quælibet corpora ſolida ſuîs peculiaribûs vorticibûs incluſa percipimus) infimæ plagæ ſedem obtinuit: 2. verò per accidens tranſpirationum vegetabilium; ac animantium; ipſorumque terreſtrium effluviorum, multò graviorem, denſiorem, ac pluribus ex partibus compoſitum; eam autem Telluris ſubſtantiam proximè complectentem, conſtringentem, & arctiſſimè prementem, pro omnium aliarum Regionum denſiſſima, ac maximè compoſita oportebit conſiderare. Attamen ea ſemper cum reſtrictione, ut quantumvìs craſſa, & denſa, ſubtilibus particulis reſtet permeabilis, ac interſtincta.

§. 6.

Id etiam hactenùs innumeræ tantæ perſpicuitatis experimenta evi-

cerunt, ut de ejus veritate nullum ampliùs ſuperſit dubium. Quòd autem aliqui velint corpora in ſuis locis naturalibus non gravitare; hoc ipſum eatenùs eſt intelligendum, quatenùs eadem materia à ſibi ſimili penetrationem non patiatur: non quidem ut ejuſdem ſubſtantiæ materia ſecundùm qualitates multiformes, ac magis minùſve attenuatas, attritaſque indifferentem locum aut plagam deberet occupare. Sic extra controverſiam eſt, quòd aqua, arena, & terreſtres aliæ particulæ, ipſeque Aër, ac Æther, ſecundùm ſuam diverſam magnitudinem, & condenſationem, diverſam quoque vorticis ſui plagam, ſive motionis ſphæram nanciſcantur: nec non partes inferiores à ſuperioribus premantur, ac verè graventur.

§. 7.

De infima, ut nobis proxima, plaga, ſive Epichthonioſphæra, à cujus qua-

qualitatibus Telluris ſubſtantia cum ſuis vegetabilibus, ac animantibus, ſenſibiliùs ſolet affici; illud primò ſeſe offert, quòd ſexpedæ unius orthogonalis è ſuperficie Telluris elevatio viſibilem quandam adferat differentiam: & ſic porro in majori altitudine hanc ipſam cum admirabilitate intendi experiamur; quæ ſecundùm prima ejus rei gratiâ Annô 1648. à Pererio, & Paſchalio, mediante Baroſcopiô, de altitudine ſexpedarum (fortè Pariſ.) ſeptem, lin. $\frac{1}{2}$. ſive dig. unius $\frac{1}{24}$. vel rectiùs loquendo, min. $2\frac{1}{2}$. de ſexpedis autem 27. min. $12\frac{1}{2}$. de 50. dig. 1. min. $17\frac{1}{2}$. & tandem de 500. dig. 3. min. $7\frac{1}{2}$. inventa eſt exiſtere.

§. 8.

Hanc diſcrepantiam gravitatis poſteà à ſuis experimentis ipſe repperit Paſchalius: qui Pariſiis in turre S. Jac. ad lanienam, ſexped. 25. alta, depreſſionem hydrargyri animad-

vertit ultra lin. 2. ſive dig. $\frac{1}{6}$. quod experimentum alibi inſtitutum ejus ejuſdem fuit effectûs. Robervallius, Sinclarus, aliique præthereà, hîſce experimentîs illud diſcrimen ad certum aliquem calculum reducere conati ſunt: ſed, imperfectô inſtrumentorum apparatu, ſinguli votis adeò deſtituebantur, ut ex ſupradictis, aliiſque uſque huc productis obſervationibus, nihil quidem proportionale liceat eruere. Sic ſuperiori calculo de ſexpedis 7. ad lin. $\frac{1}{2}$. ſexp. 27. ad lin. $2\frac{1}{2}$. & ſexp. 150. ad dig. 1. lin. $3\frac{1}{2}$. debitam proportionem manifeſtô videmus deeſſe.

§. 9.

Id nihilominùs de jam dictis obſervationibus liquet, quòd diſcrimen diverſæ altitudinis locorum perquàm notabile habeatur; & præciſè in Regione depreſſiori, & centro Telluris magìs vicino, hydrargyrum majorem aſcenſum moliri; aſt contrà

trà in elevatioribus idem hærere depreſſius.

§. 10.

Aëris illud diſcrimen non tantùm à Regionibus montoſis, & profundioribus, verùm etiam à planitiebus, notabilî elevatione, aut depreſſione carentibus, ſenſibile ſolet deprehendi. Cujus ergo in pluribus caſibus, per Aëris ponderis cognitionem, locorum elevationes accuratiùs examinamus, quàm per alia quælibet geometrica inſtrumenta: præſertim cùm agitur de diſtantiis longinquis. In quibus alia quoque difficultas exoritur, circa circularem Telluris qualitatem, quæ, mediante aſtrolabiô, in perquàm notabiles declinationes progreditur; & de ſexpedis 100. d. [illegible]: m. 5: ſec. 2. deque ſexp. 1000. dig. 11: m. [illegible]: ſ. [illegible]: obſervatur efficere.

§. 11.

Hinc in diſcrimine diſtantiarum inæ-

inæqualium, & longinquarum, illarumque ſubpolarium, Zonæ torridæ, ac temperatæ ſubjectarum, ſecundùm facti experientiam inſtrumentîs Aëroſtathmicîs optimè utemur. Nec refert, quòd aliquando in iiſdem plagis Aëris libratio ipſa inveniatur diſcrepare. Sufficit de potiori hoc in examen inſtituere. Sed, quod præcipuum hîc ſpectandum, eſt ſecundùm experientiam illius qualitatis Aëris, quæ plagæ, locoque naturaliter videatur propria (aliîs inſuper veritatem hujus experimenti diverſæ Aëris gravitatis oſtendentibûs, præſertim utrium, ſeu veſicarum, dum ab montis imo flaccidæ, ſurſum aſportatæ turgeſcunt, non aliter, ac ſi Aër in illas eſſet intromiſſus; in priori verò loco depreſſo denuò flacceſcunt) De hac tamen gravitate illud monendum, quòd ultra vorticis Telluris noſtræ ſphæras ſeſe non extendat;

&

& tunc, quando cum aliis corporis Planetarii ſphæris jungitur, ad ſtatum æquilibrii reducatur. Sic præcisè tota Aëris incumbentis quantitas in ſuperficiem hydrargyri in vaſculo ſuppoſito contenti, premendo vel gravitando indeſinenter agit; at diverſimodè ſecundùm circumſtantias ſui ipſius immutationis, nunc levioris, nunc gravioris exiſtentis. Hæc Aërologia cùm in communi vitæ ratione, tum præcipuè in rebus Medicis, tam præſtantis uſûs habetur, ut, quicquid hactenùs hinc atque illinc de Aëris doctrina, ejuſque qualitatibus ſalubribus, & perniciosis unquam prolatum fuerit, parùm vel nihil extra eam poſſit valere. Quod inferiùs clariùs apparebit, quum peculiariter de neceſſitate Aëroſtathmorum erit agendum.

§. 12.

Ut autem perigæi hujus Aëris majorem

jorem notitiam habeamus, neceſſum eſt de analogia variationis curioſiùs inquirere. Nam nullum eſt dubium, quin harmonica proportio, in aliis Mundanarum rerum motibus ſemper manifeſta, hìc etiam conſtans reperiatur, aut hydrargyro in elevatiori verſante, aut in depreſſo. Superior obſervatio confuſa utcunque apparet; & veriſimile eſt, quòd in dimènſione ſurgentis loci hinc inde erratum ſit. Si tamen de ſuprema altitudine ſexpedarum 500. hydrargyrum deſcenderit dig. 3. m. $7\frac{1}{2}$. ac de inferiori nempe ſexp. 7. dig. 1: m. $2\frac{1}{2}$. Calculum poſſemus circitèr ducere ſequentem.

Cal-

Calculus Experimenti Paſchalii.

Sexped.	500.	d. 3.	m. 7.	ſ. 30.
	400.	2.	28.	ſ:
	300.	2.	ſ:	ſ:
	200.	i.	16.	ſ:
	100.	ſ:	38.	ſ:
	75.	ſ:	29.	ſ:
	20.	ſ:	20.	ſ:
	25.	ſ:	11.	ſ:
	20.	ſ:	8.	ſ:
	15.	ſ:	6.	ſ:
	10.	ſ:	4.	ſ:
	5.	ſ:	2.	ſ:

Sexp. 4.	Ped. ſ:	Dig. ſ:	d. ſ:	m. i.	ſ. 36.
3.	ſ:	ſ:	ſ:	1.	12.
2.	ſ:	ſ:	ſ:	ſ:	48.
1.	ſ:	ſ:	ſ:	ſ:	24.
ſ:	5.	ſ:	ſ:	ſ:	20.
ſ:	4.	ſ:	ſ:	ſ:	16.
ſ:	3.	ſ:	ſ:	ſ:	12.
ſ:	2.	ſ:	ſ:	ſ:	8.
ſ:	1.	ſ:	ſ:	ſ:	4.
ſ:	ſ:	4.	ſ:	ſ:	1.

Sed cùm inter aſcenſus montis, alicujuſque alterius loci inſenſibili- ter

ter exſurgentis, ipſæ dimenſiones veræ orthogonalis altitudinis lubricæ ſint, ac proin calculorum rationem difficilem reddant; præſtat experimentorum horumce operationem ab editiori turre inſtituere, habitâ menſuræ, & dimenſionis, tumquoque ipſius Aëroſtathmi concinnitudine, ne quid juſto calculo poſſit deeſſe. §. 13.

Hujus rei gratiâ cum quibuſdam Amicis, Curioſiorum etiam Indagatoribus, Turrim D. Stephani, Noſtræ Metropolitanæ, die ſerenô, ac ſudô, quôque de Aëris conſtantia aliquatenùs eſſem certus, in altiſſimam partem, quò uſque Scalæ aſſurgunt, conſcendi. Dimetiendô, ac remetiendô, omnis poſſibilis obſervabatur accuratio; præterquàm quòd Aëroſtathmô neutiquàm uſus fuerim æquivocô, ſed vel etiam minoribûs diſtantiîs ſufficienter notabilî: unde ſubductum Obſervationis calculum ſequentî exhibeo. *Cal-*

Calculus Viennenſis.

Sexp. 5.	d. ſ.	m. 3.	Sexp. 35.	d. ſ.	m. 21.
10.	ſ.	6.	40.	ſ.	23.
15.	ſ.	9.	45.	ſ.	25.
20.	ſ.	12.	50.	ſ.	27.
25.	ſ.	15.	55.	ſ.	29.
30.	ſ.	18.	60.	ſ.	31.

Hucuſque.

Quam proportionem ſuſpicor pergere de

	°	'		° '
Sexp. 70.	0.	35.	Mil. G. 10.	13. 0.
80.	0.	39.	20.	18. 0.
90.	0.	43.	30.	22. 0.
100.	0.	47.	40.	25. 0.
200.	1.	34.		
300.	2.	21.		
400.	3.	8.		
500.	3.	55.		
1000.	7.	0.		

Hic opinor hydrargyrum ad æquationem vergere, tandem æquilibrium effe-ſturum, Æthere tam ſub tegmen, quàm apertum premente.

Hæc diſcrepantia priorî major, pro diverſitate Experimenti: nam altitudo montoſa, & Aëreo-orthogonalis, licèt æquidiſtantes à centro, non ejuſdem proportionis judicanda; cùm eam qualitates Chtonoſphæræ, & Atmoſphæræ, ùt Epichthoniis plagis propriæ, inſeparabiliter comitentur; hæc verò ſupra haſce ſe erigat, ubi Epichthonia haud ità gravitant.

§. 14.

Ex quibus liquet, quòd non ſolùm primæ ædium contignationis inquilini aliâ veſcantur aurâ, quàm qui ſecundæ, & tertiæ inhabitant; ſed etiam reverà hominis corporea moles erecta ſecundum pedes, ventrem, & caput, in diverſis Aëris plagis morans ſit conſideranda.

Os homini ſublime dedit, Cœlumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Sic animantes cæteræ inalatæ, & præſertim locis hypogæis immorantes alium Aërem, eumque magis craſſum, & condenſatum inſpirant. Contrà verò, ſi ad altitudinem majorem noſtræ Regionis mentem dirigamus, comprehendere licet, quod tandem gravitas hæcce Aërea, ſenſim diminuenda, in nullam redigatur; ita ut in iſtis ſupremis partibus hydrargyrum, utrimque

que æqualiter preſſum, vel gravitatum, verum æquilibrium faciat. De quo tamen non judicandum, quòd Aëri gravitas omnis deſit, ſed potiùs ille ipſe ibidem tam ſubtilis exiſtat, ut reſpectu pororum vitreæ materiæ cylindri, ac ſubſtantiæ hydrargyri, ſine ulla repugnantia ſit permeabilis: indeque nec magis in ſuperficiem hydrargyri apertam, quàm illius vitrô tectam poſſit gravitare; preſſione illâ, ſeu gravitatione univerſalî, quâ guttæ aquæ, mellis, olei, metallique, & vitri fuſi, ſuam rotunditatem, & peculiariter ſphæricam figuram, ſolent obtinere, nihilominùs reſervatâ. Hinc, cùm illam Aëris gravitationem preſſivam ultra mill. Germ. 34. non ſeſe extendere opinandum ſit; hunc noſtratem vorticem in Sphæras ſequentes quinque: nempe Chtonoſphæram, Atmoſphæram, Aëroſphæram, Meteoroſphæram, ac tandem

D 2 Æthe-

Ætheroſphæram, oportebit diſpeſcere; ut diverſitatum Regionis juſta ratio obſervetur, ad contrarii ventorum, tempeſtatumque motûs, ipſiuſque Chtonoſphæræ alterationis, ideam facilem comparandam, ſummoperè neceſſaria. Quid autem immutatio hæc quibuſcunque animantibus alterationis poſſit adferre; & quomodò ipſa Telluris machina ab Aëris levitate extremum patiatur, facilè judicamus, perceptô Aëre, in ſtatu naturali, Telluris globum undiquaque arctiſſimè complectente. Veluti ipſa autopſia illud nos docet præprimis à Lunæ compage, eôdem prorſus modô Aëreis ſuis vorticibus circumdata.

§. 15.

Ad quantum autem iſta Aëris gravitas ſeſe præcisè poſſit extendere; eſt res utilis, & ſummâ curioſitate digna. Cujus gratiâ à Collegiis Florentinis, & alibi plura detecta fuerunt,

runt, ut Aëris pondus ſecundùm proportionem cum aqua, aliisque corporibus gravioribus, ſatis accuratè poſſit diſcerni. Hac gravitatis Aëris diverſitate nixi plures, dum ignem, vapores, bullaſque Aëre ſubtiliorî repletas, in altum ferri cernerent, ratiocinati ſunt de praxi poſſibilis Aëronautiliæ. Cujus machinæ prior deſcriptionem fecit P. Franciſcus Lana; ut nempe navis ex corio fabricata, linteô affabre proviſa, ſufficientibûſque globîs, Aëre vacuîs, appenſa, in elevatiori Aëris Regione, ope venti, aut remorum, pro gubernatoris lubitu, pervagaretur.

§. 16.

De geonautilia, ſive curribus veliferis experientiam practicam jam dudum à Chinenſibus audivimus; quam & Hollandi in littore imitari voluerunt. Sed id curioſitatis opus, ſine utili, progreſſus non habuit:

quum facilè judicemus, terram arenoſam, & non omni ex parte æqualem ac condenſatam, iſti navigationi haud aptam eſſe. Ita non meliùs navigatur quàm in fluido: niſi, ut memini, neceſſitatis ergo hyemis tempore mare Meridianum, Hollandiam inter & Friſiam, nautilotrahis circa partes glaciatas ſæpe trajici. De Aëre quidem pro velociſſimis curſibus ſpem haberemus, dummodò fabrica hujus levitatis extrui poſſet, quæ ab ejus vorticibus craſſioribus poſſet ſuſtentari.

§. 17.

Lana opinatur, ut globi octo pedes radiati, & epiſtomiis ſuis proviſi, huic operi poſſint ſufficere, ſi hauritoriîs debitè fuerint exhauſti, ac ab omni contento Aëre vacui. Sed quando examinamus quantæ fortitudinis preſſivæ ipſe Aër exiſtat in Regione epichthonia, non eſt poſſibile, globi hujus Diametri ſedecim pe-

pedum latera tenuitatis & roboris iſtius confici poſſe, ut prementi Aëri illæſa reſiſtant, ac ſimul levitate gaudeant Aëreîs agitationibûs ſuperiorî. Siquidem per explorata experimenta docemur ambientem Aërem circumferentiæ unum pedem radiatæ tantô robore preſſivô donatum eſſe, ut gravior, ſecundùm preſſionem, dicendus ſit pondere ℔. 5000. Nimirum quòd eô pondere ad minus indigeret duorum hæmiſphæriorum, tantùm præ exhauſto Aëre coalitorum, divulſio. Prætereà, ratione habitâ proportionis Aëris & aquæ de 1. ad 800. itemque Aëris pedis cubici æquantis unciam $1\frac{1}{2}$. conſtat, vel tenuitatem laminæ globi virtute Aëris preſſivâ inferiorem eſſe, vel eam præ juſto robore ſui ipſius ſuſtentationi Aëreæ non poſſe ſufficere. Et caſu quô laminæ tenuitas, conſervatô robore, ad deſideratam levitatem reduceretur,

ut ſuſtendando oneri tantillo par
ſet, globum ad magnitudinem D
metri ped. 30. vel 40. debere exc
ſcere.

§. 18.

De Aëronautilia ergo per h
methodum nihil eſt quod ſpe
mus; multò minùs ſecundùm o
nionem Wilkens, quondam De
nenſis Epiſcopi, in ſuo apologe
te pro Copernico, vel hac vel
via ad Lunæ Orbem poſſemus e
grare. Nam ſupra ſpatium itin
abſolvendi milliar. Ger. 55040.
cumferentiis Telluris decies maj
Aëris diverſitas Regionum ex
Epichthonioſphæram, intuitu illi
vitæ noſtræ propriæ, tantoperè p
portionem egreditur, ut vel in
tioribus montibus, quamvis te
ſtribûs vaporibûs abundent, hon
unô ſolùm die defectu pabuli Aë
haud poſſet vivus ſubſiſtere.
ceo ſupremæ vorticum ſphæræ q
li

litates; quæ vitæ noſtræ foco penitus adverſantur. Fortaſſis tamen globi è charta, ichthyocolla, alio-ve glutine, levi ſimul & robuſto, parabiles, qui Aëris exhauſtum paſſi, Chtonoſphæræ citra gravitatem immorentur: atque etiam alitûm exemplô hyperbolicorum motuum machinæ Aëronautiliæ aptæ, διὰ τοῦ περιχώρου, poterunt concinnari.

§. 19.

Sed huic noſtræ intentioni præcipuè ſerviet illius diverſitatis Chtonoſphæræ cognitio, quæ, ut ex præcedentibus calculis percepimus, valde notabilis habebitur, cùm pro communi vitæ uſu, ſecundùm temperiem Cœli, tum pro conſervatione valetudinis, & evitandis morbis, ab Aëre anomalo non raró inſedabiliter oriundis. Quod ultimum tempore affectionis malignæ, ac epidemicæ, ad oculum obſervare licuit: ſicuti in hiſtoria conſtitutionis peſtilen-

ſtilentis nuperæ, Annô 1714. hîc in lucem edita, fuſiùs id ipſum fuit explicatum.

****

CAPUT V.

De Denſo ac Raro.

§. 1.

AB antiquo jam ſeſe Philoſophi vehementer torſerunt, ut de Gravi & Levi inſtituta ſua juſtæ ideæ accommodarent. Ariſtoteles ab examine præteritorum, ut & Timæi Platonis, definit: *Illud Leve dici, quod ſurſum fertur, & ad extremum; Grave autem quod ſimpliciter deorſum, & ad medium*: quum anteà de Cæl. l. 1. docuiſſet; *Illud Grave eſſe, quod ferri natum ſit ad medium, Leve autem, quod à medio. Graviſſimum, quod omnibus ſubſtat, quæ deorſum feruntur. Leviſſimum verò, quod omnibus ſupereminet, quæ ſurſum feruntur.* Hac Doctrinâ intelligimus quidem,

dem, quid vocabula βαρὺ & κοῦφον ſiſinificent in communi uſu loquendi; ſed nihil inde explicatum habemus, in quibus Gravitatis, ac Levitatis natura, ſeu proprietas videtur conſiſtere; & quam ob cauſam Gravia ac Levia ſurſum ac deorſum tendere apta nata ſunt.

§. 2.

Hic Philoſophus ſecundùm ſuam mentem, quòd Terra in Mundi medio ſubſiſteret, & Cœlorum ambitus ab extremitate fornicis limitaretur: ſic & confusè meditatus fuit de Leviſſimo aliquo ſupremo; & Graviſſimo medio, ſive centrali. Cùm autem jam plura media, ſeu plures Orbes Planetarios, alioſque fixos cognoſcimus, qui ſinguli ſuis vorticibus incluſi pro mediis ſubſtantivis debent conſiderari, obſcuram, de noſtra Regione Planetario-Solari loquendo, vel nullam de Leviſſimo, ac Graviſſimo iſto, ideam pote-

poterimus formare : ſed tantù
agnoſcere, quod quilibet vorte
cundùm haſce qualitates Gravi
Levis, ſingulariter debeat con
rari, quô modô eas de Tellure
ſtra licebit intelligere.

§. 3.

Supremus rerum omnium C
tor, ut ex æterna ſua ſapientia
minem crearet, eumque ſuâ In
ne, Mente ſcilicet, & Animô
gniret, haud aliter totum Un
ſum, perfectiſſimæ pulchritu
Opus, condere voluit, quàm
innumerîs affectionibûs ſegrega
ac diſtribuendo, ſecundùm ha
nicum ordinem, omnibus ſuis d
ſiſſimis operationibus aptum
ſervandis. Hinc extat tot de
tum ornatibûs hoc noſtrum D
cilium, & tàm præſtantî ſupelle
inſtructum, ut quaquaverſùm
mô aut corpore feramur, han
ſigniſſimam Fabricam non ſatìs

m

mirari liceat, neque Supremo Numini pro ineffabilibus beneficiis ſufficientes agere gratias, ac laudes dicere.

§. 4.

Quid amænum, quid delectabile, & quoquô modô ſenſibus noſtris voluptas blandiatur, in Symmetrica id ipſum cùm majorum particularum, tum minutiarum variæque figuræ, ac magnitudinis compage concinnatum eſt. Sic ſemina frugum, plantarum, & arborum in Terram videmus projici, Gravitatis ergo fundum petere, eique conjungi; indeque poſtquàm coaluerint foràs prodire, inque altum ac maximam molem ſeſe erigere. Quod itaque tam erigui, Leviſque principii in Graviſſimam ſubſtantiam excrevit (ſicuti procerarum plurium arborum ligna ejus Gravitatis, ut aquæ immergantur, quoque dari comperimus) ex ſingulis minutiis fuit conflatum.

§. 5.

Sic Gravia ac Levia recipr
ſunt viciſſitudinis : & qualecun
Graviſſimum, paucô ſuppeditatô
tificiô, qualitatem Levis induit
contrà Leviſſimum rurſus cùm n
râ, tum artificiô, Grave ſolet
dere. Neque putandum eſt aur
argentum, cuprum, ferrum, pl
bum hydrargyrum, aliaque
modi plura, Gravia ex qualitate
exiſtere, quàm ex ſuæ format
compagis: ita ut texturæ, con
tioniqué ſolî, hujus, vel illius
teriæ ſecundùm coaptationem
ræ regularis vel irregularis, quâ
ri influenti reſiſtat; vel magis,
nùſque tranſitum concedat, id
ne debeatur, quod de Gravi, ac
vi ullatenùs poſſimus concipere.
propter omnes corporeas diver
tes, & vegetationes, quas unqu
imaginatione licebit attingere
qualitatibus Rari ac Denſi ſuæ

ſ

ſtantiæ formationem dicemus mutuari.

§. 6.

Eôdem modô videmus Aquam, Aërem, & alias quaſque res, ſecundùm condenſationem, & arctiorem figurarum coaptationem, Gravia reddi; & contrà, ſecundùm certas circumſtantias Rarefactionis, ſuam Gravitatem uſque adeò exuere, ut reverà Levia ſint, & adverſos ſuæ ipſius naturæ edant effectus. Hinc præternaturales impetus ventorum, exæſtuationes marium, Terræque hiatus cum voragine, ac eructationibus montuoſis; quoties Aër Condenſari ſolet, aut Rarefieri: ſicque anſam præbere turbationibus, omnibuſque præpoſteris motibus.

§. 7.

Ab inventione anemoſphæræ experimur, quomodò ex Aqua quieta, dum ignis ope in agitationem evehitur, ventum impetuoſum produci,

duci, veribus torquendis aptum
perfectam aſſationem. Pulvere
riô itidem non ſolùm ingentem
gorem accensô excitamus, ſed et
Aërem in ſatis ſpatioſam plagam
ſigniter alterare valemus, ut ex
refacta qualitate Condenſatam
tuetur, ventuſque procelloſus
tranquillum reducatur. Porro
rias Lunæ phaſes circa æſtum ac
fluxum maris, ſingulis ſex horis
cidentes, ac Solem tempore æ
noxiorum, ab tropicis reverſ
circa temperiei Cœli immutatio
plurimum efficere, jam dudum
ſervatum fuit. Quid de Tellur
diis Solis, iſtius operantiſſimi A
directè, & indirectè per Lunam
lioſque Planetas per majus h
ſphærium indeſinenter illuſtrat
ad multiplices caloris, exſiccati
atque aduſtionis motus incit
quum ſuâ ſponte nive, pruin
concreſceret, atque immenſo

gore conglaciaret, reſtat judicandum?

§. 8.

Inde copioſas ſcaturigines Denſi, & Rari, diverſitate locorum, & qualitatum conſideratâ, nunquam non Chtonoſphæræ accidere facilè comprehendimus: hinc, Aëre nimiò vapore turgidô, illinc verò caloris auxiliò, ſpatiosîs locîs ab eodem aliquantùm vacuîs conſiſtentibûs. Quæ tantò majores ſolent evadere, quantò magìs inter loca inæqualia, & montibus, vallibuſque diſtincta, illæ turgeſcentiæ, & inanitates, mediantibûs Calore vel Frigore, acciderint. Præmiſſis hîſce ad ſcientiam variationis, ac effectuum Aëris neceſſariîs, ulteriùs progredior de inſtrumentis acturus, quibûs ejuſmodi variatio ſolet indicari.

CAPUT VI.

De Inſtrumentis Aëris qualitates ... cantibus.

§. 1.

SCientiarum theſauros tam di... exploramus, ut unicuique ſe... dùm ſuum captum, modò ad... vios rerum naturalium caſus ... mum diligenter applicet, admi... lum aliquod elargiantur, quod ... aliiſque poterit prodeſſe. St... dum, ac tardum artificem, cont... labore, in peritum non rarò pr... exſpectationem videmus evad... & inter plebejos atque illite... plura curioſa, ac utilia detecta p... ierunt, ad quæ docti, multo... ſæculorum labore, non perv... rant.

§. 2.

Si quiſpiam alienîs principiîs ... butus longam doctrinam vene... utique ingenium confundit: & ...

magis ſuo inhæret huic ſtudio, eò minùs ſeſe aptum reddit ad veritates, ſuâ naturâ ſimplices, percipiendas. Jacobum Metium Friſia Occidentalis primum eduxit, inſtrumenti megaloptici inventorem : quod ab Authore Anno 1608. D.D. Statibus Gen. Belgii fœderati præſentabatur ; aliàs ingenioſus quoque in perficiendis catoptricis, quamvis humanitatis ſtudii prorſus eſſet ignarus. Eadem Provincia alterum præbuit ruſtica de gente Artificem, Cornelium Drebelium ; cujus induſtriâ nobis reſtant Thermoſcopia, quibûs Caloris, & Frigoris qualitatem ſolemus internoſcere. Refert quidam Fluddus, Oxonienſis Medicus, ejuſmodi inſtrumentum, & veteri manuſcriptô deſignatum, 700. annîs antè, extitiſſe : ſed cùm alibi ſuper hoc annos 500. numeret ; neque ullibi aliàs de fabrica, & uſu illius inventi, quicquam reperiamus, non

eſt veriſimile, id ipſum tantô
pore latuiſſe in obſcuro. Cre
dum potiùs, hoc inventum à
belio Anglis fuiſſe communicat
cùm is ille plurium curioſus Ind
tor à Rege accerſitus, diu ante
tionem operis Meteorologici Fl
in Angliam perrexerit.

§. 3.

Hoc ipſum inſtrumentum, T
moſcopium, aut Thermomet
appellatum, ejus eſt operationi
quamcunque Aëris immutation
ſecundùm Frigus, & Calorem, q
accuratiſſimè oſtendat: quo
oculum experimur in liquore,
treis cylindris comprehenſo, qu
motâ manu, naturaliter calidâ
diverſitate fabricæ, aſcenſum
deſcenſum efficit ſatis notabil
atque manu retractâ, in priſti
locum revertitur. Sive nunc
immutatio Epichthoniosphæræ
cidat, ſecundùm ſpatium aliqu

in quo inſtrumentum collocatum fuit, ſive intra ædium cubicula, ac hypocauſta, illico eam ipſam oculo tenùs conſtanter, & diſtinctiſſimè quidem animadvertimus.

§. 4.

Aliud automaton, circa Aëris pondo operationes ſuas exerens, eôdem ſæculô 17. ſed poſteriùs, nempe Annô 1643. inventum fuiſſe ab quodam Hetrurienſi Mathematico, Evangeliſta Torricello, omnes conveniunt. Idem conſiſtit quoque in organis cylindricis, è vitro conflatis, quæ artificiosè hydrargyrô repleta multifariam Aëris immutationem, ſed præſertim circa Grave & Leve, ſive in cubiculis, ſive ſub dio ſuſpenſa, itidem præcisè, & modô promptiſſimô indigitant.

§. 5.

Utrumque hoc ab plurimis curioſis inveſtigatoribus tandem eam perfectionem adeptum fuit, ut in com-

pendio, & citra difficultatem
confici: licèt, ut in omni alia
ri ſolet, quòd quilibet ſecundù
nium, ac intellectum, ſuô ſenſu
ſueverit abundare, magnam fa
apud multos inveniamus diffi
tiam: quam paucìs attinger
pediet, antequàm de uſibus,
ceſſitate eorundem meam op
nem in medium proferam.

CAPUT VII

De Aëroſtathmo, ejuſque uſu, & n tate in communi vitæ ordine & ſ tiis rerum.

§. 1.

VUlgò hoc automaton Bar
trum, ſeu Baroſcopium
tum fuit nominari: ſed cùm ſi
citer de Gravitate ſuas operat
non abſolvat, ſed potiùs ſpec
de Aëris pondere, ſive Levi
Gravi, indicium faciat, rectiùs

vocabulô Aëroſtathmi placuit inſignire, rei naturam propriè deſignante; ut quaſi ipſum Aërem Chtonoſphæræ, totiuſque noſtri vorticis ſecundùm ſuum pondus, inſtar ſtateræ, perpetuò librans exiſtat. §. 2.

Fabricæ modus prior ſimplex fuit, ex vitreo cylindro, ab extremitate una aperto, ab altera verò Hermeticè occluſo; dig. Rhen. 32. 33. longo, aſt variè ſpatioſo, dum ſecundùm uniuſcujuſque intentionem œconomicam, quâ hydrargyri quantitati intendunt parcere, eoſdem anguſtiores vel amplos ſolent efficere; quod & de longitudine obſervant. Hic ipſe in altitudinem productus ſuprà notatam, & latus ſecundùm internum ſpatium dig. $\frac{1}{4}$. vel ad minimum $\frac{1}{6}$. (quod plurimi ad $\frac{1}{10}$. reſtringunt; aſt malè: cùm id exiguum motibus velocibus, & accurationi prorſus improprium exiſtit) hydrargyrô ab omni metallo liberô, ac for-

 di-

dibûs repurgatô, ita repletur,
nullibi à repletione vel tantill
ſpatii aut interſtitii poſſit anim
verti. Qui repletus vaſi dig. 3
ſpatioſo, & hydrargyrum ad dig
à fundo elevatum comprehender
ita dexterè imponitur, ut hydr
gyri hujus & illius ſine vel mini
Aëris interventu fiat conjunc
Ubi tunc catheticè cylindrus erec
verum Aëris pondo promptiſſi
indigitat circa ejus Gravitatem pe
Chtonoſphæram, in qua experim
tum inſtituitur; ſigillatione H
meticâ circularî; cylindri rectitu
ne, æqualitate, & robore; ac t
dem vaſis ſuppoſiti figurâ cylin
câ, quàm optimè fieri poſſit, ob
vatis.

§. 3.

Hôc modô paratum inſtrum
tum, aſſulæque affixum ad pariet
alicubi remotius à fornace apper
tur. Hîc illico cernimus hydr

gyrum ab extremo ad certam diſtantiam deſcendere, ibique à preſſione Aëris aſſiduè ſineque corruptione librari. Circa quod libramentum id ſciendum, quòd Chtonoſphæræ operatio, ſeu preſſio potior accidat ſuperficiei hydrargyri in ſuppoſito vaſculo contenti, non verò illi in cylindro ſuſpenſo, ac librato. Ita ut hinc inter hydrargyrum per totam ſuam deſcenſionem uſque ad ultimam ſuperficiem, atque ipſum Aërem ab Epichthonioſphæra per omnes in ſupremam vorticis noſtri ſphæram exſurgentem, libratio conſideretur; preſſio ne ab hac vel illa parte validior exiſtat: ſicque hydrargyrum ab Graviori Aëre aſcenſum, aut id ipſum Gravius Aërem reprimat, & deſcenſum moliatur. Quarè etiam multum intereſt, an illud ſpatium à ſupremo hydrargyro in cylindro relictum perfectè ſit vacuum, & ab Aëre omni exhauſtum.

Nam ſi vel tantillum Aëris ibi
pletione remanſerit, vel pòſt e
terſtitiis ſordium & minimarum
ticularum, repetitìs librationi
ex infimis partibus aſcendat, o
hujus perfectioni plurimùm d
hetur: cùm hydrargyrum h
caſu non ſolùm deſcenſum
majorem, ſed in eo ab Aëre i
cuo reſtante adjuvabitur, ſim
accedente aliquo calore, elate
reddatur intenſior.

§. 4.

En Aëroſtathmum fabricatu
ritè confectum: cui aliud nil
quàm ut in ſuprema hydrarg
ſcenſione indice notetur; qu
riationem motuum ſurſum, &
ſum juſtè poſſimus diſtinguere.
autem à diverſarum Nationum
ficibus ejuſmodi inſtrumenta
cata proſtant; ſic quilibet pr
genio, vel caſu etiam, & ex i
fecta aliorum narratione hoc

logiùm differentibûs gradibûs, & diviſionibûs diſtinxerunt, adjectô numerô improportionatô, & ſibi contrariô. Nam dum quælibet Regio Chtonoſphæræ diverſa ſit, ſic Aërorologi indicis numero non ſecundùm veram ſui ponderis diſtantiam locum aſſignant, ſed ex fortè tunc temporis conſtituta Cœli intemperie pro bona, aut mala.

§. 5.

Oportet itaque hîc imprimìs eſſe ſollicitum de menſura quadam univerſali, quæ plurimis in Europæ partibus nota eſſe poſſit ad veram & infallibilem diſcrepantis motûs hydrargyri cognitionem formandam. Ego eum in finem menſ. Rhen. per totum R. Imperium, Provinciaſque adjacentes, uti & per tractus Galliæ, notam mihi ſelegi: quâ diſtantiam ſuperficierum hydrargyri, cùm internæ tum externæ, per dig. quorum pes Rhen. 12. complectitur, diſtri-

buo;

buo ; incipiendo numerum à
26½. & finiendo ad dig. 29½.
numerationis diſtantiâ ſeſe ad d
extendente. Hi notati digiti ſi
li ſunt diviſi in partes æq.12. To
itaque ſpatium in partes 36. (
tamen & alias diviſiones admitt
extra quas, jam annîs 20. &
pliùs, hîc Viennæ illud obſe
haud excedere.

§. 6.

Accidit non raro, quòd in
menta hæc vaſculo vitreo impo
inter transferendum, per exu
tionem fluidiſſimi hujus metall
quam faciant jacturam, etiam
vaſcula lignea inſignem ejus po
nem imbibant ; cùm ſtatim d
bantur, & ſecundùm indicis nu
rum ſuam proportionem amitt
præterquàm quòd inter ſucc
tranſportationis, Aëris bullæ
ſurſum perrepant, unde vitium
augetur, ut citra novam repl

quid

nem non ſit auferendum. Quarè præſtat ea in quiete relinquere, inſuperque identidem attendere, cùm ad hydrargyri ſuperficierum diſtantiam, tum ad ſuperius ſpatium vacui hydrargyro innatantis, ut huic atque illi defectui debitè ſubveniatur.

§. 7..

Cùm autem, uti jam dictum, hydrargyrum locum motûs ſui digitorum trium vix unqûam excedat, deque potiori ſeſqui digiti ſpatiô limitetur; plures haud eâ exiguâ variatione contenti alios fabricæ modos excogitârunt, quibûs hyperbolicâ virtute illud motûs ſpatium magìs notabile redderetur. Unde prodierunt inſtrumenta duplicis ſtructuræ ex recurvato tubo, cujus extremum & medium duobûs vaſculîs cylindricîs dig. 2. 3. ſpatioſîs & altìs, providebatur: ut, dum hydrargyrum ab illo deſcenderet in hoc, porro liquore

re coloratô unà cum hydrarg
pletum , diſtantiæ majoris e
oſtenderet. Quæ res non caru
ceſſu. Sed cùm non emendab
fectus hiſce inſtrumentis anne
ſet, quòd ſecundùm liquorem
voci motûs exiſtat, nunc calc
extendentem , nunc verò I
contrahentem ; id tentamin
meruit applauſum : & ad prir
ventionis fabricam fuit reverſ

§. 8.

Nihilominùs tamen, cùm r
lioris diſtantiæ motus in hoc
mento etiam atque etiam deſid
operæ pretium fuit, adhibitâ ſin
diligentiâ, ulteriùs conari, ut
ctûs poſſet obtineri. Ego d
ante aliquot annos, attentè
organi operatione examinatâ,
inclinando radius hydrargyri,
nus totus, adeò protraheretu
ſecantis naturam aliquatenus
meret, modum excogitavi

plicandi angulariter. Ita mihi formavi aplogonios elevat. gr. 6. 7. 8. 10. & 14. item digonios diverſorum graduum; ac tandem polygonios, ſeu hyperbatos, ut per hyperbolen motus ſenſibilior evaderet. Circa quam methodum voti omnino compos factus, reverà experiebar variationem digiti unius in inſtrumento cathetico, per hæcce compoſita ſeſe ad dig. 3. 4. 5. 6. & 8. pluréſve extendere, quæ ſignificantiſſimè minutarum diviſionem admitterent ſecundùm majorem, minoremque anguli rectitudinem.

§. 9.

Sed in hiſce aliquibus (habeo tamen plures ſenſibilis admodum, & præciſæ variationis) motus non æquè velociter dignoſcitur atque in catheticis: & præcipuè dum aſcenſus libratur, Aërque ambigit huc atque illuc; atque hydrargyrum angulis variis tam deorſum quàm ſurſum

ſum ſupervolvitur. Præterea,
in omnibus aliis Aëroſtathmis, i
ſce præprimis conſiderandum
hyperbatis, quando inter re
dum non facilè ab Aëre ſeſe ſi
exhauriri, & à tantillo pulvere
ris interſtitium conſervant, q
vacuum evolans Calore & Fri
cubiculi variationem quoque æ
vocam reddit. Quô Aëroſtat
obſervationes plurimùm ſolent
ſcurari.

§. 10.

Uſui horumce inſtrumento
hyperbatorum aſſuetus, jam ab
annîs plus 15. per digitos, & eo
minutas primas motûs ſpatium
metiri ſoleo. Sunt enim ha
minutarum diſtantiæ pares latit
ni dig. $\frac{1}{2}$. ut non incommodè ea
vidam in min. ſec. magn. Qua
decurſu hanc dimenſionis ratio
retinuimus.

§. 11.

Jam ante indigitatum fuit, Aë

non ubique ejuſdem qualitatis exiſtere, eumque in locis editioribus adque Meteoroſphæram exſurgentibus Leviorem, in Epichthoniis, & cavernis præcipuè, Graviorem deprehendi. Sic & Provinciarum, Regionumque diverſi ſitus versùs Meridianam, & Polos, acclives & declives, fluminum ſcaturigines atque oſtia, magnam hîc adferre ſolent diſcrepantiam. Holmiæ Suecorum altitudinem hydrargyri ſummam deprehenderunt dig. Pariſ. 28. min. 35. 37. (quæ eſt dig. Rhen. 29. min. 25. 28.) depreſſionem verò imam, dig. Pariſ. 26. min. 5. 4. 3. (Rhen. dig. 27. min. 0. & dig. 26. m. 57. 58.) Quæ maxima differentia eſt dig. Rhen. 2. min. 31. Hæc ferè altitudo etiam Pariſiis fuit obſervata; ſed depreſſio non infra dig. 27. min. 55. Ea ipſa alibi adhuc alia cenſenda: quam referunt Arvernorum Claromonti in depreſſiori extitiſſe dig. Par. 25. min.

50. ſive dig. Rhen. 26. min. 30. &
quotidie in locis etiam paululùm
ſitis iſtam variationem valde n
bilem agnoſcimus. Sic hinc è
tate in Petzelſtorff, unâ horâ diſ
haud montoſum, ſed per accli
tem inſenſibilem elevatum, ear
titudinem min. 20. hac urbica m
rem hactenus obſervavi: qua
men, & variare ſolet, ac ſecun
immutationes Aëris diverſas, ad
19. 18. vel 17. reduci, aut non
min. 23. ſuperare.

§. 12.

Quamobrem ex hac differen
admonendum, quòd indicia im
tandæ Cœli intemperiei inter ſ
beant differre: & quòd hîc indi
Aëris ſicci, & ſereni, alibi pro
no ſit habendum: quodque
non ſolitæ tempeſtatis hîc in m
critate conſiſtens pro ſudo ſolet
ſagire. Ut autem dimenſio e
peragatur; non utendum eri

ſtrumentîs Vaſculô ligneô proviſîs, in quibus hydrargyri contenti ſuperficies vel planè non, vel fallaciter viſitur: unde dimenſionem certam haud licet perficere. Inſuper alia incommoda jis inſunt: nam dum è ligno fungoſo fiunt, hydrargyrum imbibitur, ac tranſmittitur; ſi è buxo aut ebore, communicationis lìbertas Aëris, ipſiuſque hydrargyri prorſus intercipitur. Quapropter ad errores dimenſionum evitandos, tunc quoque auferenda incommoda, liberrimo motui hydrargyri contraria; neceſſum eſt, ut vaſa ſuppoſititia habeantur ex materia vitrea non in circularem, aut conicam, ſed cylindri figuram fabricata, atque in ſummitate ſpiraculô prædita, ne ullô modô Aëris ingreſſibus, ac exitui ſuboriatur impedimentum. Quòd tamen in pleriſque hactenus non erat obſervatum: cùm non tantùm vaſcula hæc nimis exigua,

parſimoniæ hydrargyri ergo,
formam pyramidalem tornar
verùm etiam undiquaque nullô
ctô ſpiraculô, recluderent. Qua
gula ſtrictè obſervanda; ne ſin
accuratione monſtrata', cùm ve
nutæ unius variatio haud fruſtr
citra aliquam ſignificantem Cht
ſphæræ affectionem nunquam ſ
impingere, mancum evadat c
Aërologii præſagium.

§. 13.

Ego circa cathetica illam ca
nem adhibeo, ut vaſculum cyli
cum tubo aſſurgenti ſuppoſitur
eadem vitrea materia ſit contigu
ejuſque ſuperior pars ſufficienti
ramine proviſa, chartâ, linamer
ſpongiâ, aut ſubere, ſordium ave
darum gratiâ, leviter obturando
juſtæ Aëris comunicationi quid p
deeſſe. Hinc, inquam, dum A
ſtathmus quieſcit, parietique ort
gonaliter eſt appenſus, oportet
m

menſionem inſtituere, incipiendo à ſuperficie hydrargyri, in vaſculo cylindrico contenti, & continuando uſque ad alteram hydrargyri ſuperficiem in tubo à vacuo preſſi: nam reſpectivè & hîc preſſio eſt conſideranda à materia Ætherea (cui nihil eſt invium) itidem actuoſa, inter quam, & illam ab extremo Aëre adventitiam, hydrargyrum ita librari conſpicimus, ut ſemper fortior minorî habeatur ſuperior, & viciſſim; per motus naturæ proprios. Quâ nunc quiſpiam menſurâ uti velit, ea unicuique libera eſto: licèt tamen meliùs ſit ad aliquam communiter notam recurrere; ut proportio & æqualitas diverſarum Regionum altitudinis ubique haud incommodè perſpecta habeatur.

§. 14.

Quàm præclarus horum organorum uſus, & quàm uberes in dignoſcenda temperie Cœli fructus ſoleat

præſtare, vel ex hoc liquet, qu
aliquot annis eadem ex Muſ
ſacrariis in publicum prodiê
& nunc quidem in omnium
manibus verſentur. Attamen
res ea mirari opinor, quàm
ligere: ſicuti ex annotatione d
næ ſuper iis Aërologicæ innot
quâ perhibent, pluviam, ni
grandinem, tempeſtatem, ſu
que & ſerenum, ſingillatim
ſuæ altitudini includi. Quod
ominùs conſtanti experienti
contrarium. Videmus enim,
que in altitudine elevatiori, n
pluviam; & in depreſſa, ſ
temperiem accidere. Ego me
obſervare tempore autumni ab
tudine dig. Rhen. (qualis imp
rùm ſemper ratio habebitur)
min. 5. 7. 10. per Septimanas
que aut ſex continuam ſerenita
ut ſeriùs vindemiantes præter
in lucroſam vindemiam incidere

§. 15.

Hujus An. 1715. Febr. 12. 13. 14. altitudo in elevatiori conſtituta; attamen varia, ſæpiùſque de die min. 10. 15. vel 16. aſcendens & remittens, tempeſtate ventosâ accidente & pluviâ; uti ex obſervationum albo poſteà innoteſcet. Etiam non raro altitudinem elevatiorem ad imam deſcendiſſe, ac elevatiorem rurſus occupâſſe, ſine notabili Aëris vidimus tumultu. Quarè ad alia oportet attendere, unàque cum Aëroſtathmi conſtantia, & vacillatione, Chtonoſphæræ qualitates frigidas, calidas, humidas, & ſiccàs, ac porro plagas ventorum, eorundemque curſus directos, conſpirantes, & ſibi contrarios in ſubſidium vocare. Nam ſi à 3. quatuórve plagis Venti ad aliquam concentrationem ferantur, illa quidem concentrationi ſubjecta Regio Condenſabitur, & ferme incompre-

henſibiliter. Ita certum eſt, A
doctrinam vix alcujus momenti
ſtere, ſi non unà ventorum qu
tates in conſiderationem trahant
Cujus ergo, in Civitatibus & p
alibi, ferè ubique, templa ac publ
editioraque ædificia anemoſco
inſignita cernuntur, quamvis m
non adjaceant. Et ſanè mirand
eſt, Metropolim hanc, commo
tione Cæſareâ, ac qualitate P
montorii donatam, intuitu fa
gerati fluminis Danubii, Urb
præterfluentis, ejuſmodi Signîs
deſtitutam.

§. 16.

Quòd autem Ventus, media
Calore oriatur, inque aliquam
tem irrumpat, voragines effic
procelloſas, vel per Region
quamdam impetuoſiùs tranſit
moliatur, id ipſum non alii ca
adſcribendum, quàm diſpoſiti
partium ad Denſum & Rarum.

horum ergo, fulmina, tempeſtatis effectus, rarò in Chtonoſphæram Condenſatam agere experimur, ſed in Rarefactam vel ſurſum in Aëroſphæram, erumpere, illique ictus ſuos ruinoſos exercere: licet fragor longè, latèque ſoleat exaudiri, quò tamen ictus minimè pertingit.

§. 17.

A' Calore & Frigore, quantumvis inſignibus, ſecundùm Condenſationem, & Rarefactionem, variationem notabilem non adeò obſervamus; niſi quòd hyemis tempore Aëroſtathmus in elevatiori plerumque moretur; & nunquam deſcendat, niſi cum effectu immutandæ temperiei. Æſtate verò elevatior rarò conſpicitur; & ubi in mediocri aliquo tempore perſeverat, ſudum ac ſerenum tempus producere conſuevit. Sic contrà ſubſiſtere neſcia altitudo talem & in temperiem inconſtantem; ac è conſtitutione continuata

ſubitò decidens tempeſtatem adfuturam pronuntiat. Circa quæ omnia tamen ad alia præſagia, à Calido, Frigidoque, ac ipſis ventorum qualitatibus petita erit recurrendum.

§. 18.

Plurimi tempore inſtantis Ecclipſeos Solis, quæ major accidebat Anno 1699. die 23. Aug. quum Sol obſcurabatur ad dig. 11. m. 28. ſec. 42. autumabant, aliquid inſoliti quoque Aëroſtathmo ſuperveniendum. Sed veluti lux, & tenebræ ſingularis variationis hîc non exiſtant, ſic etiam ille Ecclipſeos dies, initiô ſerena, ac omnino tranquilla, talis permanſit. Solùm à majori Solis diſco intercepto, qui poſt auroram elevati fuerant ros, & vapores, rurſus congelati in Epichthonioſphæram fuêre diffuſi, auramque roridam denuò produxerunt: Aëroſtathmô ex dig. 28. min. 33. duas min. deſcendente.

§. 19.

§. 19.

Hujus Ecclipſeos causâ multi ſeſe hinc in Bohemiam receperunt: pluribûs ſibi de victu pro aliquot diebus providentibûs metu qualitatis venenoſæ, ac malignæ, quæ ſupra fructus & olera poſſet repandi: aliis verò in cellaria, & cavernas deſcendentibus; ut ab iſta malignitate vindicarentur. Hôc & ſubſequente menſe Oct. Aëroſt. in elevatiori conſtanter hæſit cum amœna, & æſtiva Cæli intemperie. Alia Solis Ecclipſis, dictâ major, incidit 12. Maji 1706. circa h. 10. a. m. cum tempore pluvioſo, & nubilo; abſque eo, quod peculiare aliquid in Aëroſtathmis ſit obſervatum. Quòd tamen ab ejuſmodi Ecclipſibus Telluris globus inſigniter pati poſſit, equidem non diffiteor, cùm non ut noctis tempore ubi Solis radii, una in parte deficientes, in alia tamen ſecundùm totum hemiſphæ-

ſpærium illuſtrare perſeverant, per interventum corporis inge ſolidiq́ue & qualitatis frigidæ, nes ab iſta illuſtratione arcen Et quamvis pravos ſuos effe illico non proferant, non eſt d tandum, quin elapsô tempore dem poſſint ſortiri.

§. 20.

Præter dicta hujus organi c moda; & alia habentur, ſcie Phyſicæ, ac Medicinæ infallibil ſuîs indiciîs valde utilia, & neceſſ Nam cùm conſtet quarumlibet mantium corpora tota prope dùm è ſuccis formata eſſe, omnes ita inter ſe diſſentiunt elutriationibus reciprocîs, c nuîſq́ue occurſibûs ad fermenta nem aliquam adigantur; media bûs quibûs motibûs, ſuâ na valde elaſticîs, & turgentibûs, i & vitæ calor, pabulum ſuum cifcitur; judicandum eſt, ea

ipſa cum Aëre aliquod libramentum efficere, haud abſimile ei, quod inter hydrargyrum & Aërem nobis poſſimus proponere. Quod autem ſecundum ſubſtantiam ſpirituum animaliùm, aliamque quamcunque puriorem, adhuc magis actuoſum, & ſenſibile, concipimus.

§. 21.

Quòuſque ergo Aëris externa preſſio iſti debito, ac naturali libramento poterit ſufficere, ne humores ſponte ſuâ valde elaſtici ad orgaſmos incitentur, atque exæſtuent; corporis machina ſecundùm totum ſuum quantum in æquilibrio ſubſtat; inque ſui conſervatione ac incremento progreditur omnibus, ſibi propriis, motibus dexterè ſufficiens. Egregiam hujuſce ideam nobis ſuppeditant Aërantlia, ſeu hauritoria Aëri exhauriendo ſervientia; dum animalculum, iſtâ laudatâ Aëris circumcingentis preſſione

ſione orbatum aliquatenùs, ad
poſteros ſui ipſius motus adigi
langueſcitque, & tandem ſecun
totam ſuam molem in diſruptio
concitari videtur.

§. 22.

Talem quidem Chtonoſph
exceſſivam Aëris privationem
facilè accidere poſſe perſuaden
ſed cùm conſideremus, delica
animantis compagem, quæ tota
tubulis, & fluidis admodùm, ſu
libuſque & ſpirituoſis liquorib
ipſum Aërem tenuitate, & vir
penetrabilî, ſuperantibus, eſt
ſtructa; mirari deſinemus, quo
dò pravi quilibet effectus hum
corpori imprimis, utpote præ
quibuſvis ſenſibili, poſſint ſupe
nire; quoties in Aëris dyſcraſia,
levioris gradûs, aliquantiſper c
tur præternaturaliter ſubſiſtere.

§. 23.

Quod ab nimia Chtonoſpha

R

Rarefactione circa animantes ſuboritur incommodum; idem ipſum quoque Telluri poſſe ſupervenire, & vel actuosè non raró accidere, arbitramur. Sic dum alicui Regioni naturalis ſua Aëris circummunitio deficit, mediante majori Rarefactione, vim patitur, & ad præpoſteros motus à ſemetipſa compulſa verè dehiſcit, atque in minoſam eructationem erumpit. Hæ ipſæ Rarefactiones minoris gradûs, attamen inſoliti, & præternaturalis, Telluris ſuperficiei admodum adverſæ cenſendæ ſunt; cùm anſam præſtent malignæ qualitatis exhalationibus, excreſcentiis, atque productioni herbarum, frugum, fructuumque, in animantium paſtum cedentium; ac denique generationi diverſorum inſectorum naturæ venenatæ, ac deleteriæ.

§. 24.

Et non aliunde cauſam peſtis, alicujuſvè alterius morbi epidemici

pro-

provenire perſuadeor, quàm
diô dictæ labefactationis Chto
ſphæræ, & Telluris ſubſtantiæ.
autem, depravatîs inſenſibiliter
ſtibûs, pecorum infirmitas, ægr
do, ac contagium præceſſerint,
uti hôc ultimô] malô epidemicô
ctum fuiſſe experiebamur, to
cauſam apocriſeos morboſæ de
datam intuemur, ſi ei ſubſequ
Aëris præternaturales Rarefactio
adjecerimus. Hinc ſemper ma
ferocius evaſiſſe compertum
quoties aliquô tempore iſta A
dyſcraſia, ope Aëroſtathmi ind
ta, ſolebat ſubſiſtere. Quod il
hac conſtitutione peſtilentî,
ſolùm deprehendebatur, ſed &
ribûs præcedentibûs annis, quo
aliquod malum epidemicum, p
ſertim æquinoxiorum tempo
conſueverat ingruere. Unde n
raliter patet, quomodò, juva
Dei Op. Max. Clementiâ, loc

Re

Regiones ejus inſalubris, & veræ malignæ, contagioſæque qualitatis poſſimus effugere, atque ejuſdem periculô defungi, modò attendamus ad qualem commorationem diſcedendo refugiamus.

****

CAPUT VIII.

De Thermocryerometro, ejuſque utilitate.

§. 1.

ALiud inſtrumentum ſupereſt, qualitatem Chtonoſphæræ circa Calorem & Frigus non minùs accuratè quàm utiliter edocens. Hactenùs Thermometrum, ſeu Thermoſcopium, fuit appellatum, tanquam Calorem menſurans. Cùm autem idem organum non ſolo de Calore indicium facit, ſed æquè ſenſibiliter de Frigore; veriùs illud Thermocryerometrum, ſeu Calorem & Frigus dimetiens, appellandum.

§. 2

A' prima ejus inventione de commodo ſtructuræ, ac usûs, etiam hîc plurimi modi excogitati fuerunt, ut ſuccinctè, & magîs ſenſibilì operatione ejus effectus innoteſcerent. E' duplici ergo vaſe, ubi nempe tubus, ad extremitatem globô inſtructus (itidem vitreæ materiæ) & quodam liquore coloratô ad certam altitudinem impletus, phiolæ, eundem liquorem ad mediam partem continenti, imponebatur, hanc machinam conſtruxerant. Sed plurimæ incommoditatis ergo circa ipſam fabricam, ejuſque uſum; dum nempe liquor & corruptioni, & exhalationi eſſet obnoxius, atque etiam gelu; ab iſto modo ad ſimplices tubos tranſierunt. Qui concinnè & ſecundùm debitam proportionem facti, ab Aëris exhauſtô, mediante Calore effecto, ita adimpſentur, ut à globo uſque ad medium, liquor in Aëre

Aëre temperato reſtet conſpicuus; ſicque ad extremitatem Hermeticè occluduntur. Liquorem hîc ſeligimus ſpirituoſum, à gelu, & corruptione liberum, coloris cyanei, rubri pro lubitu, aut flavi, ut aſſurgens, aut remittens diſtinctè ſatìs appareat: totius organi magnitudine ſeſe ad ped. 2. vel 1½. extendente. Hîc autem monendum, quòd globi capacitate majorî, & tubi minorî, liquoris motus reddatur ſpatioſior; ubi à capaciori cylindro, minorique globo, motus ille anguſtiorî ſpatiô reſtet deſignandus.

§. 3.

Conſici quoque ſolent minoris magnitudinis, nempe pedis unius, vel dig. 6. 7. quæ, capſulis affabrè impoſita itineri utiliter accommodantur, ac ubivis portatilia, rhedæ appendi poſſunt, non minoris accurationis, quàm ab majoribus animadvertimus: ſolùm habitâ ratio-

ne proportionis globi, cylindri,
ſpatii motûs anguſtioris; ſic ut
majoribus organis graduum ſim
cium diviſio in hiſce aut coarctetu
aut ad qualitatem duplicem re
gatur; quod cum optato ſucce
omnino ſolet fieri.

§. 4.

Præter liquoris dicti repletion
etiam eam ex hydrargyro, binô
versô modô, licet conficere. Q
ejuſmodi organa periculô vac
diſſiliendi, dum fortè ante feneſt
præ incuria ad Solem relinquunt
vel etiam ſtudiô, quum Calc
quantum directorum Solis rad
rum experiri ſit animus.

§. 5.

Quàm juſtè ſecundùm dict
hanc inſignitionem Organum c
cinnaverimus, idem illud tamen r
lius usûs exiſtit, ſi non pro pe
liari conſtructione, ejus moti
aſcensûs, & deſcensûs indicem

ap

aptemus. Nam quod plerumque fit, ut omnibus univerſalis index aſſignetur, ſummè erroneum eſt; cùm globi, cylindrique diverſa magnitudo, diverſum quoque aſcendendo, ac deſcendendo ſpatium complectitur; præterquàm quod verus locus Temperato rariſſimè, vel nunquam ſoleat annecti.

§. 6.

Non ſinè diligenti examine tandem unum perfeci, ſecundùm hanc graduum diſtributionem, quæ in certo quodam puncto Temperatum figens hinc deſcendens gr. 90. pro Frigore, atque illinc aſcendens totidem pro Calore enumerat. Quorum iſti utrimque in N°. 10. Frigus; 15. Autumni & Veris; 18. Regelationis; 20. Gelu; 30. Hyemis; 60. intenſius; & 90. intenſiſſimum: hi verò itidem utrimque in 10. Calorem; 15. Veris & Autumni; 18. Calorem natural.

30. Æſtatis; 60. intenſiorem; & tandem 90. intenſiſſimum deſignant.

§. 7.

Secundùm hoc prototypon, cætera omnia inſtruxi, eô quidem modô, ut in ſingulis iſte numerus veræ qualitati motûs accomodatus ſit; & ſi omnia in una Regione ſuſpendantur, ſingula ſecundùm variationem numerorum aſſignatorum ſibi invicem ſeu magna, ſeu minora, & portatilia debitè, ac præcisè reſpondeant; ac unô monſtrante Temperatum, aut gr. Cal. 30. vel Fr. 30. aliumque quemvis, cætera ſingula in eadem operatione concordent. Quæ obſervatio exactiſſima in omnibus adeò neceſſaria requiritur, ut citra illam de effectu Aëris Calidi aut Frigidi perverſum judicium feramus.

§. 8.

Commoditatem hujus Organi in Oeconomia, ac Communi vitæ ratione

tione inſigniſſimam quidem licet percipere, quum Calorem in genere, eumque Temperatum, adeò neceſſarium agnoſcimus, ut ſinè eo laudabile Temperamentum nunquam poſſit ſubſiſtere. Sic Caloris ope omnia vegetabilia foventur, incrementum faciunt, & ſuam maturitatem obtinent. Animantes verò ejus præ cæteris egent, quæ eô diminutô languent, ac deficiente, vergunt ad interitum.

§. 8.

Sed dum omnia hæcce, ſecundùm ſuam craſim, Aëris qualitatem nunc magìs Calidam, nunc Frigidam, aliâ vice Temperatam, deſiderent; eadem autem à diverſitate intemperiei Cœli, & anni conſtitutionis, mirum in modum variet; dictîs hîſce organîs in veram licet cognitionem devenire, quid de quanto Coloris præſentis aut Frigoris experiamur, & quò uſque unum, vel alterum

Digitized by Google

neceſſitatis, aut commodi gratiâ debeat procurari ac intendi. Quibus etiam patefit, an, præ imminente aliqua apocriſi morboſa, de Calore, & Frigore perversè ſentiamus.

§. 10.

His hyemis tempore in conclavi, cubiculo, muſeo, ac cænaculo major Calor arridet; illi æſtate eum evitantes magis aulas affectant; inque locis hypogæis triclinia ordinant. Noſocomus nunc Temperatô, atque interdum Frigidô indigens ægrum ad ſcimpodium ſternit; nunc verò Calidô eum ad lectum transfert, lodicibûs ſufficienter contegendum, uſque ad ſudoris proventum: à quo iterum refectionis causâ Temperatum ſummoperè erit neceſſarium. Hortulanus hyemis Frigore induſtriè curat, ut malis aurantiis, limoniis, fructibuſque exoticis, ac primitivis floribus de apto

Digitized by Google

apto Calore proſpiciat, proque viribus nititur, ne, pruinâ, aut gelû in conſervatorium irrepentibus, ſpe dejiciatur. Quibus cunctis providendis optimè ſubminiſtrant hæc Thermocryerometra, ex voto indiciũ præbentia, quantùm Calore, aut Frigore excitandis, oporteat pergere: proportione, Thalpologioque juſtè obſervatis. §. 11.

Si prætereà hoc organum conjunctim cum Aëroſtathmo conſideretur, doctrinam Aërologicam non parùm augeſcere experimur, cùm, nullâ interpoſitâ morâ, ingruens Frigus, & Calorem circa minimam mutationem oſtendant. Sed quantoperè ſingula hæc organa ſenſibilia cenſeri poſſint, Aëre vel tantillùm à ſua craſi recedente, ita ut nulla procella, nullus nimbus, non ulla Tempeſtas, nulla denique Telluris vel cujuſvis elatéris comotio, aut alia quæpiam dyſcraſia Chtonoſphæræ abſque cer-

Digitized by Google

to præſagio poſſint accidere; nihilominùs intuitu corporis humani, atque omnis alîus animantis, iſtam organorum ſenſibilitatem hîc parvi momenti exiſtere, infallibiliter licebit concludere: uſque adeò; ut neque his aliqua conſtitutio epîdemica, aut peſtilens, queat ſupervenire, ſine indubitata horùmce organorum præſignificatione.

CAPUT IX.

De Obſervationibus Aërologicis, Viennæ habitis ſub Elev. gr. 48. *m.* 22. *de Annis* 1709. 1710. 1711. 1712. 1713. 1714. *uſque ad Veris initium* 1715.

§. 1.

QUum initiô Januar. 1709. Frigus majus protraheretur, ejuſdem 9. illud intenſum adeò evaſit, ut non audiverim quempiam noſtrate in Regione ejus unquam me-

meminiſſe. Præterlapſum fuerat Frig. grad. 80. quô eô plurima pecora ſylveſtria, ut & multi homines per totum tractum Germaniæ, præcipuè ejus partes ſeptentrionales, interierunt. Aëroſtathmus pridie, nempe 8. occupaverat dig. 28. min. 40. ſed hôc ipsô die fortiſſimi gelu, cœlô totô ſerenô exiſtente, deſcenderat ad dig. 28. min. 32½. & ſic porrò deſcenſum haud præcipitanter continuabat uſque ad 15. cùm altitudinem priorem repeteret, atque 19. dig. 29. min. 7¼. æquaret: 31. nix copioſa incidit, Aëroſtathmô verſante infra dig. 28. Jam antè ſata & vineæ nive obtegebantur, extra quam de illis, ſicuti de nucibus, perſicis, ficubus, armeniacis, aurantiis, limoniis, aliiſque arboribus fructiferis plurimis, actum fuiſſet.

§. 2.

Cùm ſub finem menſis dicti Frigus remiſiſſet, Febr. 10. incepit regelare,

gelare, & deinceps varium, ac nimboſum reddi, taleque ſubſiſtere ad 19. quum denuò nix copioſa ceciderit, Aëroſtathmô tangente dig. 28. min. 20. Hanc aliam 26. copioſiſſimam experiebamur, Aëroſtathmô deſcenſum faciente, ad dig. 27. min. 50.

§. 3.

Martii primus dies adhuc copioſæ nivis extitit; ſed 6. pluvia incidebat, Regelatione turbidâ porro continuatâ, donec Solis ingreſſui in ♈ eſſemus proximi.

MARTII 1709.

	Dies	Aëroſt. dig.	m.	Therm. gr. a.m.	gr. p.m.	Temperies varia.
	21	28	16	F.17		*Regelatio.* ☉ *in* ♈
	22	27	55	9		*Pluvia.*
	23	28	25	13		*Ventoſum.*
	24		25	17		*Sudum.*
○ h. 5.	25		18	10	C.22	*Sud. amænum.*
m. 30	26		20	8	14	*Ut ſupra.*
p. m.	27		18	7	12	*Pluvia.*
	28		32	11		*Serenum.*
	29		13	11		*Turbidum.*
	30		10	2		*Tempeſtás c. tonit.*
	31		15	7		*Turbidum.*

APRI-

APRILIS 1709.

	Dies	Aëroſt. dig.	m.	Therm. gr. a.m.	gr. p.m.	Temperies.
	1	28	7	F. 5		*Turbidum.*
h. 2.	2		28	7		*Sudum.*
m. 8.	3		30	9		*Serenum.*
a. m.	4		32	8		*Serenum.*
	5		35	6		*Sereno - Sudum.*
	6		28	4		*Sudum.*
	7		8		C. 1	*Sudum.*
	8		14	2		*Sudo - Varium.*
	9		7	2		*Pluvia.*
	10		14	2		*Varium.*
h. 4.	11		25	5		*Sudo - Serenum.*
m. 25	12		28	2	14	*Sereno - Æſtivum.*
a. m.	13		25		2	*Serenum.*
	14		20		2	*Sudum.*
	15		18		30	*Sudum.*
	16		28		28	*Sudo - Ventoſum.*
h. 8.	17		32		33	*Æſtivum.*
m. 47	18		32		17	*Nubilum.*
a. m.	19		32		27	*Serenum.*
	20		44		28	*Serenum.* ☉ *in* ♉
	21		40		25	*Serenum.*
	22		32		28	*Serenum.*
	23		26		20	*Nubilum.*
h. 3	24		32		31	*Turbido-Ventoſum.*
m. 58	25		10		15	*Pluvioſum.*
a. m.	26		14		17	*Pluvioſum.*
	27		7		15	*Turbidum.*
	28		7		17	*Pluviæ copia.*
	29		18		25	*Ut ſupra.*
	30		23		7	*Turbido - ventoſū.*

MA-

Digitized by Google

MAJI 1709.

	Dies	Aëroſt. dig.	m.	Therm. gr. a.m.	gr. p.m.	Temperies.
☾ h. 8.	1	28	14	F.	C. 8	*Sudum.*
m.55	2		14		13	*Sudum.*
p. m.	3		25		19	*Sudo-Ventoſum.*
	4		25		22	*Serenum.*
	5		17		20	*Turbidum.*
	6		17		18	*Sudum.*
	7		15		13	*Turbido-nubilum.*
	8		15		14	*Pluvia.*
● h. 5.	9		17		14	*Nubilum.*
m. 3.	10		25		15	*Nubilo-Sudum.*
p. m.	11		17		4	*Nubilum.*
	12		7		5	*Pluvia continua.*
	13		15		7	*Ut ſupra.*
	14		21		8	*Nubilum.*
	15		32		4	*Serenum.*
☽ h. 2.	16		20		10	*Nubilum.*
m.24	17		20	11		*Vent. nix. grando.*
p, m.	18		32	12		*Serenum.*
	19		32	12		*Sudum.*
	20		32		½	*Sudo-Serenum.*
☉ in ♊	21		17		6	*Nubilo-Ventoſum.*
	22		17		4	*Pluvioſum.*
○ h. 3.	23	27	55		23	*Nimboſ. Auſtr.*
m. 21	24		52		6	*Sudum.*
p. m.	25	28	14		10	*Varium.*
	26		7		15	*Pluvia.*
	27		24		7	*Sudum.*
	28		20		7	*Ut ſupra.*
	29		24		15	*Ut ſupra.*
	30		24		35	*Ut ſupra.*
☾ h. 3.	31		17		21	*Nimboſo-Varium.*
m. o.						
p. m.						

JUNII 1709.

	Dies	Aëroſt. dig.	m.	Therm. gr. a.m.	gr. p.m.	Temperies.
	1	28	10	C.	C.21	*Nubilo-pluvium.*
	2		10		19	*Sudo-varium.*
	3		14		40	*Tempeſtas major.*
	4		17		19	*Nubilo-pluvium.*
	5		28		21	*Ut ſupra.*
	6		25	7		*Sudo-Serenum.*
	7		14	15		*Serenum.*
h. 3.	8		9	20	40	*Turbidum.*
m. 6.	9		14	18		*Seren. ventoſum.*
a. m.	10		20	22		*Sudum.*
	11		22	20		*Seren. ventoſum.*
	12		22	15		*Ventoſiſſimum.*
	13		24		25	*Pluvia.*
h. 7.	14		35		25	*Serenum.*
m. 47	15		39	7		*Serenum.*
p. m.	16		35		40	*Serenum.*
	17		35		45	*Serenum.*
	18		35		44	*Serenum.*
	19		30	25	43	*Ser. p. m. Tempeſt.*
	20		29	27		*Nub. ventoſum.*
	21		20		$47\frac{1}{2}$	*Sudum.*
h. 4.	22		17	27		*Temp. è long.* ☉ *in*
m. 6.	23		20	23		*Sudum.* (♋
a. m.	24		29	18		*Nox pluv. p. ſud.*
	25		27		35	*Sudo-ſerenum.*
	26		29	22		*Serenum.*
	27		14		45	*Sudum.*
	28		14	18		*Pluvium.*
	29		24	11		*Seren. ventoſum.*
h. 7.	30		33	20		*Sereno-ſudum.*
m. 26						
a. m.						

JU.

JULII 1709.

	Dies	Aëroſt. dig.	m.	Therm. gr. a.m.	gr. p.m.	Temperies.
	1	28	35	C.27	C.	*Serenum.*
	2		29	22		*Serenum. (ſud.*
	3		35	30		*NoxTempeſt. nunc*
	4		39	22		*Tempeſt. è long.*
	5		39		35	*Sudo - nubilum.*
	6		29		45	*Sudum.*
● h. 11.	7		25	30	52	*Calor ingens.*
m. 12	8		20	30		*Turbido - ventoſ.*
a. m.	9		14		42	*Pluvium.*
	10		20	18		*Nubilum.*
	11		24	19	35	*Sereno-Sudum.*
	12		28	11		*Pluvia.*
	13		14	7		*Pluvia.*
☽ h. 2.	14		36	13		*Ser. ventoſiſſimum.*
m. 9.	15		33	9		*Serenum.*
a. m.	16		17		40	*Serenum.*
	17		17	13		*Ventoſiſſi. c. pl.*
	18		29	14		*Turbido-varium.*
	19		25	23		*Serenum.*
